



BIBLIOTHECA
UNIV. JAGIELLO.
CRACoviensis

586275-276

kat. komp.

Man. St. Dr.

I

Biblioteka Jagiellońska



stdr0000897



586275-276

Mag. St. Dr.

*Ex Bibliotheca
Acad. Petropolitanae*

REGULA
INSTITUTI
PETRINI
SEU
PRAXIS QUOTIDIA-
NARUM EXERCITATI-
ONUM SACERDOTIS,
ET CURATORIS
ANIMARUM,

Ut ritè, ac meritorie fiant,
Ex Sacra Scriptura, & SS.

Patribus desumpta,

AUCTORE
CAROLO ANDREA BAS-
SO, Theologo, Oblato,
P̄posito Burgi Tritij.

OLIM EDITA.

Nunc in gratiam Cleri Secularis
recusa Anno Domini 1707,
Curâ & impensis Perillustris &
Reverendissimi Domini LU-
DOVICI de Kozielsk OGIN-
SKI, Canonici Vilnensis, Prz-
positi Bobroyscensis.

Constantiae, dein VILNAE, Typis
Universitatis Societ: FESV.


REIMPRIMATUR.

Concedit Offici-
um Consistoriale
Vilnense.

586275 I mpp.
Mag. St. Dr.

1968 K 17 St. Dr.

Bibl. Jag.



PRÆFATIO.

Ad
Benevolum Lectorem,
Clericum sacerdarem.

*C. Lmij Josephi
Hvt. Scholasticæ ap. Ob.*



Amet si suauissima Lex
Christi Evangelica o-
mnium in terris degen-
tium Christicolum, uni-
versalis extet vivendi
Regula, nihilo secundus wa-
ria à varijs Fundatori-
bus Instituta & Ordin-
(i) nes

¶

nes diversas sortiti sunt Regulas, quas juxta, Claustrales Religiosi suam contemplativam, vel mixtam moderantur vitam, solum communis sacri Evangelij doctrina generalem, non particularem vivendi modum
INSTITUTO præscribit PETRINO, cui D. PETRUS Apostolorum Princeps à Primitu suo primævam indidit nomenclaturam: qui creaturis suis à primordio novi mundi, in die Pentecostes Divino Flamine inflammati, diversa orbis climata felicissima sorte divisit, ut oves mundanas in seculo degentes ad pingua veracis Ecclesiæ pascua minarent, fertili Divini Verbi pastu foerent, errantes in unitatem reducerent, morbias, ac saucias sanarent vino correptionis, intermixto commiserationis oleo, & inermes à rapidissimo luporum voracium incursu armis justitiae tuerentur; imò juxta communem sacri Evangelij Regulam, mores, & vitam instituerent.

¶ Perbellè interim dixeris, si Religiosorum æquæ, ac Clericorum secularium vitam apella veris navim, Religiosorum de levigatis lignis, ac validissimis disciplinæ monasticæ repagulis ritè combinatam, imò strictissimo trini voti funiculo arctissimè alligatam, in portu securitatis immorantem, Clericorum vero secularium forti quidem de ligno solida

sacra-

sacros
stricti
sed so
ris a
portu
catissi
verò
tentat
terreni
menti
tum i
caſtior
ne i
tu i
nonni
undan
tempe
mai i
caſtit
pores
tempe
ces te
rante
xuſo
cludan
tas, i
diuum,
navim

¶

() ()

sacrorum ordinum compagine coadunatam,
strictis quidem pudicitiae clavis constrictam,
sed solutam, & in altum vastissimi mundi mar-
ris deducitam; nonne Religiosorum navis in
portu plerumque sudo, serenoque caelo, ac pa-
cataffima vita fruitur malaciæ? Clericorum
vero in medijs & stuantium, & impellentium
tentationum fluctibus agitatur, inter Syrtes
terrenorum desideriorum, Charybdes vehe-
mentissimorum motuum, tum concupisibilium,
tum irascibilium, & inter scyllas peccandi oc-
casioneas continuas pericolosissime fluctuat?
ne Religiosorum natis firmissima in por-
tu Regularum solidè contecta est? non
nonne pluviarum & imbrum grandinumque in-
undantes injurias, eorum fortitudo infringit,
tempestatum contumaciam obedientia elidit, ri-
mas libidinis impurae fatiscentes mox linum
castitatis obstruit, inflammatos iracundiae va-
pores extinguit mansuetudo, inundantes in-
temperantiae humores sobrietas suffocat, mer-
ces temporalium bonorum navim nimium one-
rantes, subito paupertas voluntaria in fle-
xuosos pauperum sinus immittit? verbo con-
cludam, bac in Religionis navi vera securi-
tas, pacis tranquillitas, & conscientiae gau-
dium, quis non sine remora hanc conscedat
navim?

Quamobrem sicuti antiqui sanctitatis Ma-
(2) gistris

¶

gisiri, ac Religiosorum Fundatores Ordinum
SS. Basilius, Augustinus, Bruno, Dominicus,
Franciscus, &c. sibi suisq; sectatoribus de
Scripturis Sacris certas vivendi normas, ac
Regulas compilarunt, quibus vitam, ac mores
accommodando inhabitare possent unius mo-
ris in domo. Psal. 67. Deumq; in vero mo-
rum, animorumq; consensu, quererent, ac in-
venirent: simili modo, ac ratione certas ego Re-
gulas non Grammaticas, Rhetoricas, Philoso-
phicas, Mathematicas, aut Theologicas specu-
lativas, quibus docetur, ac discitur vel sine er-
rore, vel ornatè, vel demonstrative de natura-
lidus, aut de Deo, de Diuinis, atq; cœlestibus
discurrere: sed Theologico-Aseeticas, quibus
Cetsi Clericorum navis in medio Oceani innu-
meris periculis, ventorum scilicet vanæ gloriae
exagitationibus, scandalorum durissimis petris,
rerum terrenarum scopulis, castitatis syrtibus,
temperantæ voraginibus, verbo dicam specia-
lioribus destituta auxilijs, unde quaq; naufragi-
js exposita sit) non tam doceatur, quam disca-
tur, bene ordinatæ, vita cursum instituere, &
vultus usq;, Petrinam Cymbam remigantibus in
sudore Ecclesiasticis Naucleris, ad portum fe-
licitatis æternæ perducere valeant: quemad-
modum enim navis in securitate subsistit etiam
in medijs flutibus, si vel Anchoræ ungibus in
petras fixis, vel certis ac firmis alligata funicu-

()

lis hæret. Ita planè Navicula Petri, aut for-
san melius dixerim Navicula Christi, & Aposto-
lorum suorum in medijs agitata fallacis mundi
fluctibus securissima subsistet, si certis ordinatio-
nibus, ac decretis alligata hæreat. Ad quid e-
nim S. Raymundus, & Gratianus ex SS. Patribus
in Corpore juris Canonici tot congregarunt sen-
tientias SS. Patrum: ad quid tot leges,
Canones, Decreta in Decretalibus; ad quid tot
Bullæ summorum Pontificum, quam ut sacris ac
sanctis omnis Clericorum status ab infimo usq[ue] ad
summum ligetur fūniculis. Hos Canones, si quis
discat, atq[ue] obseruaverit, non tam facile offendet
contra iustitiam: meas vero Regulas, si quis
observet, non offendet Deum, nec proximum, ne-
que animam suam omni thesauro preiosiorem;
sed, minime sicut inter, & sicut h[ab]entans, a-
spirante Spiritu Sancti Zephyro perget, quo
tendere debent omnes, ad salutis portum De-
um, finem nostrum unicūm, ab ultimum. Vi-
tiā omnes, ac singuli præcipue Adm. Reve-
rendi Domini Clerici. sicut & Venerandi Re-
ligiosi caperent ac intelligerent, ac novissima
tanquam unicām polarem stellam previdentes
sua gubernacula eō potissimum dirigerent, ne
à recta vivendi norma vel aberrantes, vel
excedentes, ultimum ad quem creati & vo-
cati sunt scopum assequerentur: quod ut fa-

¶)(¶

cilius ac felicius ad opus redigi possit, opusculum hoc meum Venerabilissimo Clero dedito ac consecro. Vale in Domino, strenuè labora, pati non detrecta, & plurima, si velis, efficaciter merita lucraberis.



IN.

I



INDEX.

REGULA I.

Tempus fructuose Clericus Sæcularis impendat, parva non negligat, dignè DEO inserviat, sibi & alijs studeat, minima etiam peccata vitet, multa scire, & rectè vivere satagat, functiones suas bene, & perfectè peragat, ordinem institutum rerum agendarum quotidie exactè observet, strenue, & perseveranter in vinea Domini laboret.

REGULA II.

Somnus sit moderatus, juxta tritum: *Septem horas dormisse sat est, juveniq; seniqt;* Hora surgendi electo æstate sit 4ta, hyeme 5ta.

REGULA III.

Vestitus Clerici Sæcularis sit

A secun-

secundūm statūs dignitatēm, &
gradū honestus, & decens, nec
sapiat sacerduli fastū.

R E G U L A IV.

Primus animæ cibus sit menta-
lis oratio, quæ pridiè memoriaz
tradita, ore intellectùs probè ma-
sticetur, per palatum voluntatis,
affectionis, in stomachum animæ
deglutiatur, & fructuosè conco-
quatur.

R E G U L A V.

Mentalem orationem recipiat
vocalis, recitato priùs vesperè, vel
jam manè Matutino cum Laudi-
bus, pro temporis occasione de-
votè, ac attentè oret Primam, Ter-
tiam, & Sextam flectendo, stando
verò à Paschate usq; ad Domini-
cam SS. Trinitatis, ad usitatum
modum S. Caroli Boromæi.

RE-

R E G U L A VI.

Confessionis Sacramentalis usus,
si non quotidianus, saltem frequens
sit Clero Sæculari commendatus.

R E G U L A VII.

Purus mente & corpore præpa-
ratus precibus præmissis, virtu-
tum ornatu, humiliato corde, pi-
jssimisq; affectibus accedat ad Al-
tare, Sacrosancta Missæ tremen-
dum sacrificium, non nimis len-
tè, nec nimis properè, ne tædio
afficiatur populus, rubricas exa-
ctissimè observando, devotissimè
celebret; finito Sacro gratiarum
actionem tum vocaliter, tum men-
taliter DEO referat, eamq; recita-
tione Horæ Nonæ claudat.

R E G U L A VIII.

Clericus curatus omni horâ re-
quisitus, sit paratus Sacramento-
rum administrationem purissimâ

XXX. 4 XXX

conscientiâ, fine animæ suæ detrimento, & magna cum cordis hilaritate, promptitudine, non attenta laboris arduitate potentibus exactè, & solerter deferviat.

R E G U L A IX.

Oculus Domini, ceu præsentia divina ante oculos mentis, veluti scopus omnium cogitationum, & actionum semper habendus.

R E G U L A X.

Finito Missâ sacrificio, Clero Sæculari studium sacræ Scripturæ, Casuum Conscientiæ, & Concionum, ad prandium usq; maxime commendatur.

R E G U L A XI.

De omnibus matutinis actionibus fiat ante prandium discussio Conscientiæ.

R E G U L A XII.

Prandium sit frugale, non voluptuosum

¶ 5 ¶

Iuptuofum, nec in cibo, & potu
superfluum, eiq; adhibeatur le-
ctio libri spiritualis.

REGULA XIII.

Ad concoctionem ciborum post
refectionem prandij, requiritur re-
creatio, & honesta conversatio.

REGULA XIV.

Dœmon meridianus maxime
infestus vincendus est ingressu Ec-
clesiæ, adoratione Eucharistia, re-
citatione Officij B. V. MARIAE,
veneratione SS. Patronorum, in
ornandis altaribus, vel alio hone-
sto manuali opere.

REGULA XV.

Singulare Charitatis opus est,
visitare infirmos, quod non pige-
at Curatorem Clericu[m] hilari ani-
mo subire, ex eo enim in dilectio-
ne firmabitur.

REGULA XVI.

Verbum DEI Clericus Sæcularis, sive curatus, sive incuratus non solum attentè legat, alijs cum pio fervore prædicet, sed & ab alijs fructuofè audiat.

REGULA XVII.

Clerici Congregationem Spiritualem crebrius instituant, conferendo inter se non solum de ferente & frequente Verbi DEI prædicatione, Catechizatione, vitiorum extirpatione, virtutum implantatione, earum incremento, devotione in SS. Eucharistiam, B. V. MARIAM, & alios Sanctos, sed & de proprio virtutum studio, & profectu.

REGULA XVIII.

Mortificationis studium Clerico Sæculari, vel maximè necessarium, ejus enim usus, est ad perfectionem

ꝝ 7 ꝝ

etionem proximus gradus.

R E G U L A XIX.

Fragmenta temporis studioſe à
Clero Sæculari colligenda, ne pe-
reant.

R E G U L A XX.

Præparet se Clericus Sæcularis
quotidie ad felicem mortis horam
à DEO consequendam.

R E G U L A XXI.

De omnibus diei peractæ cogi-
tationibus, & actionibus Clericus
Sæcularis vesperè ante cubitum
conscientiam suam serio discuti-
at, contritionem veram eliciat, &
firmissimum emendandi proposi-
tum statuat.

R E G U L A XXII.

Nocturna quies, sive dormitio
Clerici Sæcularis sit in lecto non
nimis exquisitè composito, & adeò
molli, sed honesto, ut in eo cor-

pus tantum quiescat, non delicietur.

*Et quicunqz b*anc Regulam se-
cuti fuerint, Pax super illos, & mi-
sericordia, & super Israel DEI.
S. Paul: ad Galat: c. 6. v. 16.**



R E G U L A I. I N S T I T U T I P E T R I N I.

Tempus fructuosè Clericus Sæcu-
laris impendat, parva non negli-
gat, dignè DEQ inserviat, sibi, &
alijs studeat, minima etiam pecca-
ta vitet, multa scire, & rectè vi-
vere satagat, functiones suas be-
nè, & perfectè peragat, ordinem
institutum rerum agendarum quo-
tidie exactè observet, strenue, &
perseveranter in vinea Domini
laboret.

Ante-

ANtequam ad rem nostram pro-
pius accédamus, hæc pauca,
quæso, Venerabilis Clere Sæcu-
laris, menti tui fixa perpetuò re-
maneant, desumpta ex SS. Patri-
bus, revocanda ad opus.

I. Nihil pretiosius tempore,
nihilque carius, sed prô dolor!
*(inquit B. Laurentius Iustinianus
lib: de vita solit: c. 10.)* penè ab
omnibus nihil habetur vilius, ni-
hil tractatur inutilius, nihil indi-
gnus possidetur. Nullum tempo-
ris momentum præterit, in quo
merita non valeamus cumulare,
sed nihil pariter velocius, & ce-
lerius tempore. Volat irrevocabi-
le verbum, volat irremedabile tem-
pus, nec advertit insipiens quid
amittat. Sapienter dixit D. Ber-
nardus.

II. Præsentis diei cura haben-

da est, nam procrastinatio ad virtutem semper nocuit. Noli dicer, inquit S. Ephrem Tr. 2. in doct: var: c. 47. quiesce hodie, cras operaberis, nequaquam, sed hodie operare, & de crastino curæ Domino erit. Addit S. Bonaventura P. 2. sp. p. 21. c. 1. Dies, vel hora, quæ negligenter officia ta pertransierit, nequaquam ultrius poterit revocari; cum temporis sequentis officium, suam nihilominus diligentiam requirat. Tum deinde: Incertum est, (ait Gerson insignis Theologus T. 3. de Præp. vel Mi.) utrum crastina die tempus habiturus sis. aut certè ita aptum, ut habes hodie. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ergo optimè concludit Apostolus: Bonum facientes non desiciamus

ciamus, tempore enim suo metemus. *Ad Galat. c. 6. v. 9.* At non poteris coniugio tempore metere eternitatis præmia, nisi etiam coniugio tempore seminaveris: hoc autem congruum tempus est hodierna dies.

III. Cum de tuo, vel aliorum spirituali profectu agitur, nihil parvi aestimandum est. Rejicere enim parva, cum non possis magna, extremæ dementiæ est, *ait D. Chrysostomus.* Qui aurum ex arenis auriferorum fluminum colligunt, non negligunt minutissima hujus metalli grana, etsi arenis ipsis non majora, & tamen paulatim integras civitates auro repellent, & locupletant, *Aet. Theol. Cap.* Quare omnes lucri spirituallis occasiones non sunt dimitendas, nam incrementum addunt ad

meritum, & si spernuntur, non
semper sunt ad manum. Pessulum
ostij mei aperui Dilecto meo, *in-*
quit Sponsa Cant. c. 5. v. 6. Ve-
rūm, quia non tempestivē aperuit,
cū ab illo rogaretur, ipsius aspe-
ctu privata, remansit; at ille jam
declinaverat, atq; transiērat.

IV. *Ex D. Ambroſio de fuga*
ſeculi c. I. Cui DEUS portō est,
nihil curare debet, præter Deum.
Hoc primum & maximum negoti-
um, ut dignè DEO servias in ea
vocatione, in qua positus es. Hoc
unum negotium, si benè egeris,
æterna merces; si verò malè, et si
quæcunq; alia negotia benè tracta-
veris, sempiterna damnatio ma-
net, *inquit S. Isidorus lib. 3. Sent.*
c. 28. Idcirco scopus tuꝝ voca-
tionis quotidie mente recolendus
est, & te ipsum illis verbis D.
Bernardi interpella: Ber-

Bernarde! Bernarde! ad quid venisti? Ad quid Sacerdotalem dignitatem consecutus es? Ad quid Canonicalem præbendam? Ad quid pastoralem curam? nunquid, ut te ipsum, & alios perdas? nequaquam, sed ut tuam salutem facilius consequaris, & aliorum quoque opereris. Hoc itaq; age, quod agis; quidquid aliud, præter hoc egeris, tanquam otiosus, & inutilis servus damnaberis: Sic D. Bernardus loquens de Religiosis lib. de vita s. lit. Quodcunq; agit, quod propter hoc non agit. ut DEO serviatur, in eo, quod agit, otiatur.

V. Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi. Eccl. c. 29. v. 27. Hoc sapientis monitum perpetuo ante oculos tuos verisetur. Nam prudenter

dentis viri est, (*inquit Magnus Gregorius in c. 5. lib. I. Reg.*) sic lucra aliorum expetere, ut sui nulla damna patiatur, & de abundantia sua sic alijs tribuit, ut suæ plenitudinis aliquid non amittat. Sic oleum alijs præbere nititur, ut à se fomenta luminis non tollat, ut dum alios illuminat, se ipsum non extinguat. Etenim juxta Salvatoris nostri sententiam: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* *Marth: c. 16. v. 26.*

VI. Ex D. Bernardo *serm. de trip. cust.* Quò nitidores sunt manus, eò gravius minor in eis nævus offendit, & sicut pretiosam vestem exigua quævis macula decolorat; nobis ad immunditiam, minima quædam inobedientia sufficit

scit; nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris, vel minor residet negligenta mandatorum. Rationem reddit S. Isidorus Hispalensis *lib. 2.*
sent. c. 12. Quia tanto majus cognoscitur esse peccatum, quanto major, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus, juxta ordinem meritorum,

VII. Quinimo addit Thomas à Kempis, de imitatione Christi *lib. 1. c. 2.* Quantò etiam plus, & melius scis, tanto exactius judicaberis, nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli de aliqua arte, vel scientia, sed potius time de data tibi notitia. Quod egregia similitudine D. Bernardi confirmari potest: Cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos humores generat, & corrumpt corpus

pus, & non nutrit. Ita & multa
Scientia ingesta stomacho animæ,
qui est memoria, si decocta igne
Charitatis non fuerit, & si per
quosdam actus animæ, mores sci-
licet, atq; actus transfusa, atq; di-
gesta, quatenus ipsa de bonis, quæ
noyerit, vita attestante, & mori-
bus bona efficiatur; nonnè illa sci-
entia reputabitur in peccatum,
tanquam cibus in pravos, noxios-
que humores? An non malus hu-
mor peccatum? An non mali hu-
mores pravi mores? An non infla-
tiones, & torsiones in conscientia
sustinebit, qui hujusmodi est, sci-
ens videlicet bonum, & non faci-
ens. Haec tenus D. Bernardus serm.

36. *in Cant.*

VIII. Optimè concludit S. Isi-
dorus lib. 2. de serv. cap. 1. Utile
est multa scire, & rectè vivere.

Quod

Quòd
meliu-
um, &
non
conse-
nec e
esse m
axion
Dami-
nam
Quòd
trum
de vit
fluus,
biò, q
quipp
lia nu
IX
mo i
profe
est, ne
aut sp

Quod si utrumq; non valemus,
melius est, ut bene vivendi studi-
um, quam multa sciendi sequamur;
non pertinere ad beatitudinem
consequendam scientiam rerum;
nec esse beatum, multa scire, sed
esse magnum, beatè vivere. Huic
axiomati se subscribit B. Petrus
Damianus Ep. 144. hanc doctri-
nam Sacerdoti accommodans.
Quod si Sacerdos, inquit, ad u-
trumq; non sufficit, videlicet, ut
de vita clarus, & doctrina sit pro-
fluus, melior est vita proculdu-
biò, quam doctrina. Dulcior est
quippe fructus operum, quam fo-
lia nuda verborum.

IX. Verum ne despondeas ani-
mo in re tam magni momenti,
profectus tuus spiritualis positus
est, non in multis extraordinarijs,
aut speciosis rebus agendis, sed in

ministerijs, & functionibus, tuo
 muneri congruentibus, bene &
 perfectè peractis: Mandatum hoc,
 quod ego præcipio tibi hodie,
 non supra te est, nec procul posi-
 tum, nec in Cœlo situm, ut possis
 dicere, quis nostrum valet ad Cœ-
 lum ascendere, ut deferat illud ad
 nos, ut audiamus, atq; opere com-
 pleamus? neq; trans mare positum,
 ut causeris, & dicas: quis ex no-
 bis potest transfretare mare, & il-
 lud ad nos usq; deferre: ut possi-
 mus illud audire, & facere, quod
 præceptum est? Sed juxta te est
 sermo valdè in ore tuo, & in cor-
 de tuo, ut facias. *Deut. c. 30. v.*
 ii. Pastor es, boni pastoris partes
 strenue tuere. *Canonicus es, boni*
Canonici ministerium imple. Sa-
cerdos, & Sacerdotalem dignita-
tem cum vita sanctitate conjun-

ge, esto Sacerdos officio, & moribus, Misericordia dignè celebra. Si tuas in tuo munere partes expleveris, non erit, quod à te DEUS ulterius requirat.

X. Verum adverte, quod te monet Joannes Gerson *Dial. inter Fran. & Aug.* DEUS non remunerat verba, sed Adverbia. Hoc est, non quascunq; actiones, sed quæ benè, & meritorie sunt, remunerat DEUS. Ex illo Deuteronomij c. 16. v. 20. hausit hoc Gerson: Justè, quod justum est, persequeris, ut vivas, & possideas terram, quam Dominus DEUS tuus dederit tibi. Et Sapientiæ cap. 6. v. II. Qui custodiunt justa, justè justificabuntur. In quæ verbæ sic S. Cyprianus de singularitate Clericorum: Non bene succedit, quidquid agitur passim, & sanctum

non

non est, quod agitur sanctum, ni-
si sanctè, quod sanctum est, pera-
gatur. Et tunc justa injustè faci-
mus, cùm ea non ad debitum fi-
nem referimus: Sapienter inquit
D. Gregorius *lib. 9. Mōr. cap. 13.*
Non fuisse Jerosolimis, sed Jero-
solimis benè vixisse laudandum
est. dixit S. Hieronymus *cap. 13.*
ad Paul.

XI. In tuis functionibus obe-
undis, ex doctrina D. Basilij *serm.
de ambit. ver.* Nullum omnino sit
erratum, quod parvi pendas, esto,
quamvis illud tenuissimā bestiolā
minutius sit, potiusq; eo magis se-
dulò contendere, ut per poenitenti-
am illud emedes: & alio in loco
in Reg. Nihil oportet contemni,
tanquam parvum. Addit rationem
D. Chrysostomus *Rom. 27. in E-
vang.* Quia citò ex parvis maxi-

ma fiunt negligentia nostrâ. Et si torporem mentis excusseris, serio-
que tui officij dignitatem, atq; præ-
stantiam agnoveris, si à torpore
mentis evigilaveris, utar verbis S.
Isidori Hispalensis *l. 2. serm. 30.*
Ea, quæ levia existimabas, confe-
stim qualia horrenda, atq; atrocia
pertimesces.

XII. Ordo aliquis, quo tuas a-
ctiones dirigas per totam diem,
omnino tibi præscribendus est.
*Nam quæ ordinate fiunt, bene fi-
unt, & homo inordinatus, & si so-
lus est, ipse sibi est turba,* egregie
scripsit Magnus ille Gvilielmus.

Erit hic ordo, & partitio, atq;
distributio diurni, nocturnique
temporis, quasi monitor quidam,
seu tanquam horologium annula-
re rotatum, quod ictibus, & pun-
ctiunculis digito impressis te i-

psum

psūm excitabit, ad singulas actio-
 nes, suo loco, tempore, & modo
 perficiendas. Quicunq; perfectio-
 nis studiosi, etiam in vita privata,
 Ordinem aliquem piarum actio-
 num, ac etiam domesticorum ne-
 gotiorum diu, noctuq; sibi præ-
 scripsérunt, & accuratissimè ser-
 vaverunt. Si verò in regimine ani-
 marum es constitutus, hoc est in
 officina dilectionis DEI, & proxi-
 mi, hīc quoque, nisi aliquis ordo
 servetur, non rarò à Spirituali-
 bus ad temporalia rapieris: Vera
 charitas sine ordine nequit esse.
Qualis autem sit ordo, disce ex
D. Gregorio Nazianzeno in Apo-
logo. Officium Sacerdotale circa
 hunc duplēm cardinēm versa-
 tur. Primo, in anima sua purgari
 debet, deindè purgare alios: sibi
 sapere, & alios sapientiores effice-

re

re. Lumen esse, & cæteros illustrare. Alioquin illa tibi jure usurpare poteris. Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodivi. *Cant. c. I. v. 6.*
Tunc autem non custodimus, quia dum extraneis actionibus implicar, ministerium nostræ salutis negligimus, bene exposuit Magnus *Gregorius Homil. 17. in Evang.*

Concludit omnia Thomas à Kempis *vallis Lilij c. 17.* Nihil utilius, & salubrius cupienti ad vitam æternam pervenire, quam semper cogitare de animæ suæ salute. Lege, & percurre omnia, non est salus animæ, nisi in Deo, & in bona vita. Nec quæso, te terreat labor. Modicum, siquidem nunc laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam invenies. Si tu permanseris fidelis,
& fer-

& fervidus in agendo, DEUS proculdubio erit fidelis, & locuples in retribuendo. Idem Thomas lib. I. de imit. Christi c. 25.

R E G U L A II.

Somnus sit moderatus juxta triatum: Septem horas dormisse sat est juvenique, senique. Hora surgendi è lecto æstate sit 4ta, hyeme 5ta.

Hisce quasi fundamentis jactis hab hac actione, quæ tibi prima in die occurrit sumamus initium.

Debet esse post moderatum somnum, quo vires corporis reficiantur, non autem saginetur corpus, & acies mentis obtundatur. Si es curator animarum, nonnè speculatoris officio fungeris? An non dormit, qui custodit Isræl? Ecce boni & vigilantis Pastoris nota: Die, noctuq; æstu urebar, &

gēlū, fugiebatq; somnus ab oculis
 meis. *Genef.* c. 31. v. 40. dicebat
 Jacob de se ipso. Si sic laborat,
 & vigilat, qui pascit oves Labani,
 quanto labori, quantisq; vigilijs
 intendere debet, qui pascit oves
 Dei? inquit Magnus Gregorius
Epist. 48. ad Arium. Et Lucæ
 cap. 2. v. 8. legimus. Pastores
 erant in regione eadem vigilan-
 tes, & vigilias noctis custodien-
 tes super gregem suum, & clari-
 tas Dei circumfulsit eos. Sed
 quorūm vigilantes pastores cla-
 ritas Dei circumfulget? ait hoc
 loco Beda: Nisi quia illi præ cæ-
 teris videre sublimia merentur,
 qui fidelibus gregibus præesse
 sollicitè sciunt, dumq; ipsi piè
 super gregē vigilant, divina sem-
 per gratia super eos largius co-
 ruscant.

Si pondus animarum tuis super impositum humeris seriò cogitares, fugeret proculdubio somnus ab oculis tuis, quinimò illic Salomonis verbis teipsum excitares: Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui: & captus sermonibus tuis. Fac ergò, quod dico tibi, Fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormient palpebræ tuae. *Proverb. cap. 8. v. 1. 2. 3. 4.*

Si verò Canonicus es, & Sacerdos, præco es divinarum laudum, & Mediatoris inter Deum, & populum partes tueris. Sed quid magis huic muneri congruens,

ens, quām ineunte die hymnis, & canticis Creatorem tuum venerati? Ne de te conqueratur Deus: Ubi eras, cūm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei? *Iob cap. 38. v. 7.* Profecto culpa levis non est, *Inquit D. Ambrosius serm. 19. in p. 118.* Si te otiosum in stratis radius Solis orientis inverecundo pudore conveniat, & lux clara feriat oculos, somnolento adhuc torpore depresso. Arguit nos tanti temporis spatium sine ullius devotionis munere, ac sacrificij oblatione feriata transmissum, occurre ergo ad solis ortum, ut te oriens inveniat paratum. Si hunc Solem præveneris, aspicies Christum illuminantē, ipse prius in tui cordis illucescat arcano.

A somno expperctus, ut te

moneret B. Laurentius Justinianus
 c. 10. de discip. Prima vox, pri-
 ma cogitatio, primus affectus tu-
 us divinam resonet laudem, & i-
 gnitam ad Deum dirigat suppli-
 cationem. An nescis, quia primi-
 tias tui cordis, & oris quotidie
 Deo debeas? Orto jam die bene-
 dic Creatorē Cœli, & terræ, qui
 tibi adhuc spatiū bene vivēdi cō-
 cessit. Christus vivere tibi sit, &
 cuncta opera tua ad Christi diri-
 ge laudē. Ipse est spes tua tota,
 & præmiū æternale, ait Thomas
 à Kempis Exerc. spirit. cap. 2.
 Novo fervore concepto excita
 te ipsum, ad labores pro Dei glo-
 ria, & salutem animarum in illa
 die alacrius preferendos. Capita
 meditationis, quæ præcedēte Ve-
 spere parastī, in memoria revoca,
 sic enim magis collectus, atq; di-

Spoitus ad orationem accedes.

Surge properè & velociter, nec te frices in lecto. Cogita campa-
næ signum summi Regis nuntiū
esse, qui te ad sua iussa exequenda
vocat, occurre sine mora ad ejus
imperī; Surge Frater, qui dor-
mis, & illuminabit te Christus.
Surge piger, campana pulsat, vo-
cat te Christus. Surge citò: pe-
riculū est in mora. Ecce IESUS
venit cum MARIA, & omnis An-
gelorum chorus te exspectat cum
corona, quam potes promereri in
hac hora. sed Sathan ē contrario
suggerit: jace, & dormi, adhuc
tempestivē venies: Sic suadet, &
blanditur caro fragilis, trahit, &
decipit callidus hostis. Hucusq;
Thomas Kemp: de Cantu Eccles.

REGULA III.

Vestitus Clerici Secularis sit se-

cundum statūs dignitatēm, &
gradūm, honestū, & decens, nec
sapiat s̄eculi fastū.

IN assūmentis vestib⁹ honeste-
te geras, nuditatēm devitā, te i-
psūm reverere, Angelū tux cu-
stodiæ deputatum attende; Non
te more aulicorū geras, non mo-
rosum, nec nimis curiosum, &
exquisitum circa corporis ami-
ctum præbeas. Vestium curiosi-
tas, deformitatis mentiū, & mo-
rum inditium est. Sapienter scri-
psit D. Bernardus *Lib. 3. de con-*
fid. Et alio in loco *in Apol. A-*
gul. Non tantū curaretut cor-
poris cultus, nisi priūs neglecta
fuisset mens inculta virtutib⁹.
Severus Imperator teste Bruso-
nio *Lib. 3. c. 15.* cuidam admir-
anti, quod viliore amictu utere-
tur, dixit: Imperatoria Majesta-

31

20

virtute cōstat, non corporis cul-
tu. Quid de Sacerdotali digni-
tate?

In externo etiam corporis cul-
tu eam modestiam Clericus sēcu-
laris servet, quā suā dignitati re-
spondeat, & proximum ædificet.
Quidquid enim à Sacerdote pro-
ficiuntur, vel circa illum est, ita
debet esse ordinatum, & compo-
situm, ut non nisi humilitatem,
sanctitatem, & sēculi contēptum
indicet. Et incredibile est, quan-
toperè sacerdotem apud populū
commendet humilis, sed gravis,
& modestus vestitus. Quare ca-
veat, ne in vestitu nimis sit ex-
quisitus, quod est unum extremū
fugiendum, neve nimis neglectus,
quod est alterum vitandum, sed
eo habitu incedat, qui uti pro-
prius, & singularis ob personam.

quam proficitur, illi præscriptus
fuit.

Primum extremum ut fugiat,
proderit, si consideret, in hac ni-
mis accurata, & exquisita cura,
& usu vestium inesse peccatum,
nec meo judicio leve, datur si-
quidem Sacerdoti, ut de Ecclesiæ
reditibus victum, & vestitum ha-
beat: at non ut vanitatem, vel
muliebræ luxum sectetur, & quæ-
rat, sed ut honestam, & necessa-
riam vestem induat: Si enim in
laicis hominibus hujusmodi lu-
xum, & vanitatem in vestibus ita
damnamus, ut peccatum etiam
esse meritò asseramus; quid de
sacerdotiis nimis exquisito corpo-
ris cultu dicendum erit? Si in
Deuteronom: cap. 22. v. 5. omni-
no vetitum erat, ne vir uteretur
veste feminæ, quod non tam
de

de forma vestis accipiendum est,
quam de more, ut non ita delica-
tè, & molliter, sicut fœminæ ve-
stes indueret: multò magis cau-
tum esse deberet Sacerdoti, mo-
re laicorum in vestitu delicias, &
vanitatem fectari.

Si enim Sacerdos totus esset,
ut esse deberet, in ornatu, & cul-
tu spiritu, & animi, (*cùm omnis*
gloria filie regis sit ab intu. Psal.
44. v. 14.) sibiq; esset pretiosior
anima, quam corpus, vanum cor-
poris cultum profectò neglige-
ret, sciens, quòd sicut mercator
pretiosa monilia & gemmas vili
capsula contegit, ut eas securius
custodiat, & asservet, ita salus a-
nimæ humili, & modesto corpo-
ris tegumento tutior cōservatur;
etsi Sacerdos in sortem Domini
vocatus mundo abrenuntiavit,

54

anno in tam accurato vestitu stu-
dio, & luxu fidelis habēdus erit?
Certè hujusmodi luxus, & molli-
ties vestium non tantum est indi-
tium effeminati animi, sed etiam
quædam illecebra turpis amoris,
& irritamentum concupiscentiæ:
quò enim corpus mollius tracta-
tur, eò magis contra spiritum in-
valescit, & deliciæ vestium igne
libidinis magis incendunt.

Alterum extremū, in quo pec-
care potest sacerdos, est, si nimis
sordidus, & neglectus in vestitu
appareat: pari enim modo orna-
tus, & sordes fugiendæ sunt, ut
benè S. Bernardus (*prout Author
eius vita Gofrid Abbas lib. 3. c.
2. refert*) facto non probabat, &
facti rationē reddebat. Nam cùm
vixisset, in vestibus ei paupertas
semper placuit, sordes nunquam,

nimirum, animi fore indices aje-
bat, aut negligentis, aut inaniter
apud se gloriantis, aut foris glo-
riam affectantis humanam. Quis
non horreat Sacerdotem sordidū
maculosā veste indutum, illuvio-
sum, sacra tractantem, & sanctis
assistantem altaribus, cuius sor-
des eō magis offendunt astantium
oculos, quō minus latere nō pos-
sunt. Et licet corporalis mundi-
tia Deum, qui purissimus spiritus
est, nihil tangat; tamen vult nos
non solum spiritualiter, sed etiam
corporaliter mundos esse, quia
spiritus mundissimus munditiam
diligit. Igitur danda Sacerdoti
opera est, ne vel nimis comptus,
vel neglectus conspiaciatur; mul-
tum enim ædificantur populi,
cū vident Sacerdotē suum re-
ligiosè mundū, extersum in cor-

pore, in vestibus, & in rebus o-
mnibus: atq; inde colligunt intes-
riorem conscientię nitorem non
minus illi esse curæ, quam exte-
riorem corporis cultum. Tria e-
nim sunt, quæ hominis interiora
enuntiant: Amictus corporis, ri-
sus dentium, & incessus. Eccles.
cap. 19, vers. 29.

In particulari igitur amictu
comam capitis, sive capillos Cle-
rici saeculares non nutriant juxta
Decretum S. Pontificis Romani
Anniceti Mart. crebrius deton-
deant, ne defluentes super hume-
ros vestes sacras in cœlebratione
Missæ demaculent; Coronā pro
conditione status majorē, vel mi-
norem radere soleant, in ea spi-
nosam Christi meditando coro-
nam. Quō ad Barbam, quæ viro-
rum ornamençum, & decus est,

hominemq; venerandum reddit,
 & ideò à Theocrito venerabilis,
 ac venusta indigetatur; hinc qui
 pilos barbz imminuit, veneratio-
 nem iminuere conatur, nulla ex-
 tat lex, barbam gestare, vel eam
 mento abradere, interim tamen
 legitur Aarone veteris testamē-
 ti summum Sacerdotem, & Chri-
 stum Dominum novi Testamenti
 legislatorem, ac Sacerdotē æter-
 num secundūm ordinem Melchi-
 sedech etiā Barbam gestasse, quæ
 corum facies in terris ornabat,
 & auctoritatem augebat.

Toga oblonga ex materia ni-
 gra sit, non sapiat splendorem
 fæcularem: rure degentibus Cle-
 ricis ob frequentiores excursio-
 nes brevior ad surras: in urbibus
 verò oblongior ad talos usque,
 hinc talaris dicitur: Manicæ ex-

damascena nigra non nisi in dignitate constitutos, & graduatos decent: Collare non sit nimis longum ad modum sacerdotalium.

Cingulum, quo vestes laxæ striguntur, utpote symbolum castitatis, extinctionis omnis motus carnalis, refrenationis omnium superfluitatum, & modestiæ, semper gestent, & juxta monitum Christi. *Lucæ cap. 12.* Lumbos suos eo præcingant, præcipue dum peregrinè proficiscuntur ad differentiæ Præconum acatholicorum, qui velut similes Sacerdotes sacerdtales in vestitu exteriore simulatur in omnibus, excepto solùm cingulo.

Ligulas ex serico ad manicas, & fasces ad genua tanquam muliebres nugas abijciant, quæ mundi potius, quam servum Christi e-

xor-

xornant. Tibialibus ex nullo nisi colore nigro se induant: Calceos pictos, nimium elatos, angustos, muliebrem olentes luxū non deferāt juxta monitū Synodi Carthaginensis 4ti cap. 45. Clericus professionem suam, & habitu, & incessu probet, & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quārat.

R E G U L A IV.

Primus animæ cibus sit manè mētalis oratio, quæ pridiè memoriae tradita ore intellectus probè masticeatur, per palatum affectuum in stomachum animæ deglutiat, & fructuose concoquatur.

*P*ost resurrectionem à lecto, primam horam orationi mentali dabis, hæc prima hora tibi in meditatione omnino impēdenda est.
Do causas. Multa postea possunt

cyc-

evenire causâ tui muneris, quæ
impediant orationem. In con-
fessio est etiā apud magistros spi-
rituales, Dæmonis esse fraudem
manifestam, sæpè nos avocare so-
lere à præsenti studio alicujus bo-
ni operis, per spē majoris oppor-
tunitatis ea mente, ut nihil boni
agamus, nihilq; perficiamus, quod
non raro incautis Sacerdotibus
solet evenire. Prævidit hoc D.
Basilius inter cæteros, nosq; præ-
monuit his verbis. *Serm. de alte-
rei.* Habent enim mores hunc Dæ-
mones, ut faciendæ orationis tē-
poribus, per speciosam scilicet
aliquam laudabilis causæ alicujus
simulationem, nobis sedulò au-
ctores sint, ut ab ea nos subdu-
mus, ut quam salutem afferre no-
bis intelligant, ab ea nos proba-
biliter adducant. Si ergo Dæmō

(ut

Ut optimè advertit *Climacus*
Grad. 18.) cùm sit infensissimus
 orationis hostis, hoc orationis
 tempus omni conatu perturbare
 nititur, tu ad illum superandū
 teipsum præpara, & hanc horam
 mordicūs tene. Hæc hora valdè
 opportuna est; quia melius me-
 ditatio eā horā fit; mens etenim
 magis collecta est, nullis adhuc
 curis distracta, corpus ipsum no-
 eturnā quiete confirmatum com-
 modius inservit animo meditan-
 di. Hoc modo primitias orientis
 diei, nosq; simul Deo dicamus.
 Cunctæ actiones nostræ diuturnæ
 ab ipso sumunt exordium, atq;
 ex eo diriguntur in sanctum fi-
 nem, & virtutem haurimus, ut
 cunctas diligenter, nè imperfectè
 à nobis fiant, operemur. Quare
 merito, qui sunt lux salutis stu-
 dige

diosi, ex matutina oratione, quales cæteræ diurnæ actiones futuræ sint, facile colligunt.

Si orationem operi præmis-
ris, & surgens è lecto primorum
motuum initia ab oratione du-
xeris, aditus peccato in animam
non patebit. *inquit S. Ephrem.*
T. I. Serm. de orat. Dei. Quod
si hæc hora spirituali aliqua ne-
cessitate proximi impediatur, ut
evenire potest in eo, qui curam
animarum exercet: si hic neces-
sitatis casus prævideri potest, si
eris tui profectus spiritualis a-
mans, aliquid tēporis de noctur-
no somno suffuraberis, quod in
hoc tam svavæ mentis pabulo in-
sumas; si verò repentinus, & in-
excogitatus casus sit, idem hic
serva, quod in alendo corpore ser-
vare soles; nam si horâ consver-
casu

casu cōtingat, ut cibū sumere nō
valeas, in aliam horam refectio-
nem quidem differs, non autem
in alteram diem; hoc ipsum præ-
sta in hac refectione animæ tux,
& eò sanè diligenter, & accura-
tius, quò anima corpore præstā-
tior est. Omnipotens nulla prætereat
dies sine sua linea, sine usu ora-
tionis mentalis. Sine studio ora-
tionis, omnis Religio est arida,
imperfecta, & ad ruinam prope-
rans, egregiè scripsit S. Bonavē-
tura de Progressu Religionis cap.

7.

Pueris illis Hæbreorum, qui
ad obsequia Regis Babylonis ele-
cti erant, & ut starent in conspe-
ctu illius (*ex capite 1. Danielis*)
constituerat Rex annonam per
singulos dies de cibis suis, & de
vino, unde bibebat ipse, ut enu-
tri-

triti tribus annis postea starent
in conspectu Regis. Ecce anno-
na, quam de cibis suis cœlestis
Rex tibi constituit, ut dignè ad
illius famulatum, & colloquium
admittaris, vescere quotidie de
illa, certè si hoc cibo regio ani-
mam tuam enutries, quam specio-
sus in illius conspectu appareres,
quam latus Dominus ad tua vota
complenda festinaret?

Verum convivium hoc spiritu-
ale orationis, ita moderaberis, ut
intellectui pauca, sed affectui mul-
ta fercula apponas; Est quidem
necessæ, ut præcedat operatio in-
tellectus, qui facem voluntati no-
stræ præferat, ut ex ipsa suas o-
perationes exerceat, cum teste
Philosopho: Nihil sit volitum,
quod non sit præcognitum: quod
confirmat D. Gregorius Homil.

26. super *Evang.* Nemo potest diligere, quod prorsus ignorat. Nihilominus in cōsiderationibus intellectus longius immorandum non est, sed omnis cōsideratio ad excitandum dirigi debet ad pravos amici affectus moderādos, ad acquirendas virtutes, & ad di-
vini amoris augmentum: Volū-
tas in hoc negotio, ipso intelle-
ctu prāstantior est: Propterea o-
ptimè monet Joannes Gerson *su-*
per Magnif. Kell. 26. Lit. D. In-
quiramus quid sit virtus, non ut
sciamus, sed ut boni efficiamur.
D. quoq; Ambrosius *in Psal. 118.*
Meditationis cœlestiū præcepto-
rum intentio, vel finis operatio
est. Quod & illis animalibus. *E-*
zechieli c. 1. adumbratum fuit,
quæ manus sub alis habebant, &
manus hominis sub pennis eoru;
quia

quia intellectus operatio ad proxim, & ad opus tendere debet.

Quid animæ fideli suavius, quid jucundius esse potest, quam devo-tè de Domino Deo suo meditari, ut quem clarâ ac beatificâ visio-ne intueri nec dum valet, saltem per studiosam recordationē, qua-si præsentē sibi faciat? Thomas à Kempis Soliloq. c. 19. Alia vi-de in Curatore Animarum p. 2. cap. 8. pag. mibi 99. NB. Liber plane utilissimus & dignissimus, ut ab omnibus Curatis Clericis Secularibus studiosissime legeretur, & memoriæ imprimeretur.

REGULA V.

Mentalem orationem recipiat vo-calis, recitatio prius vespere, vel jam manè Matutino cum Lau-dibus, pro temporis occasione de-votè, ac attentè oret Primam,

Ter-

Tertiam, & Sextam flectendo,
stanto verò à Paschate usq; ad
Dominicam SS. Trinitatis, ad
usitatum modum S. Caroli Bor-
romæi.

Ab oratione mentali transi ad
vocalem, nisi fortassè muneris
tui ratio ad alia pietatis, ac re-
ligionis officia te vocet. Opti-
mus sanè transitus ab uno, ad
alterum ignem, ab uno modo col-
loquendi cum Deo, ad aliud col-
loquij genus, sed tantæ dignita-
tis & utilitatis, progressus, qui
se invicem juvant, mentalis ora-
tio ignē parat, vocalis ligna sub-
ministrat, quantum fieri potest,
ab invicem sejungi & separari nō
debent.

Sive in Choro, sive extra Cho-
rum, privatim Horas Canonicas
recites, cogita hanc præstantis-

simam functionem ad officium tu-
 um præcipue pertinere. Quilibet
 vero, nisi planè inspiens sit, of-
 ficium suum exequitur, & eo sa-
 nè diligentius, quò dictum offi-
 ciū fuerit sublimius. Non er-
 gó tanquam onus laboriosum, &
 gravē, ut nonnulli Sacerdotes
 falsò sibi fingunt, & ideo in hoc
 censu persolvendo adeò segnes,
 & inde votos cum tedium se præ-
 dent, sed tanquam mollissimum,
 & jucundissimum munus tibi ipsi
 persuade, quid enim excellentius
 est, quam esse Præconem divina-
 rum Laudum, legatione fungi a-
 pud Deum pro Ecclesia, & Ange-
 lorum ministeriū obire in terris;
 Sed quid suavius Psalmis, & Can-
 ticis, attente, & devote decanta-
 tis? profecto tanto sapore, ac
 spirituali dulcedine palatum cor-

dis

dis be
 unqu
 umqu
 cerdo
 quod
 degust
 cibus
 mel, d
 18. v.
 Co
 six co
 recita
 propri
 beat, e
 re, mo
 fa, ma
 cerdo
 nisteri
 Omis
 poris,
 docet
 art. 2.

dis benè affecti replet, reficiuntque, ut breve nimis, nimis umque velox non nullis probis Sacerdotibus tempus illud videtur, quod ponitur in hac dulcedine degustanda. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, & favum ori meo. *Psal. I. 18. v.*

Congruò tēpore juxta Ecclesiæ consuetudinē, Divinū Officiū recitabis, quælibet Officij hora proprium tempus assignatum habet, quod diligenter non servare, modò nō obstat legitima causa, magnam negligentiam in Sacerdote arguit, necnon tāti ministerij non levem contemptum; Omissio enim circumstantiæ temporis, affectus negligentia est, docet S. Thomas *art. 2. q. 54. art. 2. ad 2.* & D. Ambrosius

Lib. 2. de vocat. gent. c. 4. dif-
 ferens de sacrifici: Cain, duas cau-
 sas assignat, propter quas à Deo
 rejectum fuit: Quia nimis non
 congruo tempore obtulit, distu-
 lit enim illud offerre, & quia sibi
 electiora servavit. Et verè, quis
 Princeps non ægrè ferat, atque
 non indignetur, cum videt obse-
 quia ab ipso imperata, non suis
 temporibus à Servis suis illi præ-
 stari, sed tempore importuno &
 præpostero, ut quod manè fieri
 debet, differatur usque ad meri-
 diem, & usq; ad vesperā? Quan-
 to magis irascetur Dominus uni-
 versorum, cum viderit Sacerdo-
 tem ad hoc precandi munus præ-
 cipue destinatum, & hujus causā
Christi patrimonio locupletatū,
 debitam huius censū persolvē-
 di horam præterire? Res hæc si-

cut

cūt divinam indignationem pro-
vocat, ita dœmonibus risum :
Nonne ridiculum esset, si meri-
diem manè appellares, & meri-
diem vesperam vocares, aut cūm
tempus surgendi esset, te ad cu-
bitum parares. Sic cūm matuti-
nas horas post prandij horam re-
citas, aut Primam, vel Tertiam,
cūm jam solis occasus advenit,
aut etiam, cūm omnia simul eca-
cervas, haud dubio non abibis
impunè ; Quemadmodum nec a-
bijt ab ira Divina illæsus B. Se-
verinus Ecclesiæ Coloniensis Epi-
scopus alioquin vigilantissimus &
sanctissimus Præful, qui in pesti-
lenti voragine ignis purgatorij
cremabatur, non aliam quidem ob-
causam, nisi quia Canonice Sy-
naxis officia per distincta hora-
rum spatia nō persolvit, quo im-

perialibus negotijs cōmodius ac
liberius vacaret. *Vt auctor est*
Petrus Damiani Lib. de mirac.
Meritò Angelus, qui Eremitam
quemdam deficentibus alimentis
pascebat, uvas aliquando bonas,
aliquando agrestes; quandoque
etiam marcidas illi deferebat;
qui interrogatus ab eo, quæ esset
causa tantæ diversitatis, respon-
dit, se portare uvas bonas, quan-
do officium debitum horis persol-
vebat; agrestes verò quando præ-
veniebat, marcidas autem quan-
do ultra debitam horam persol-
vebat. Iacob. à Graph. cap. 6.
paragr. 14.

' Ante divinum officium ex con-
silio D. Bonaventuræ, præviâ ali-
quâ oratione te ipsum collige, &
noli esse quasi homo, qui tentat
Deum. Eccl. c. 18. v. 23. Ideò

enim

enim
mūs i
non s
exercit
frigidit
inquit
Præp
cium,
in duo
intent
intētio
fectus
finem p
fecto a
homo c
mala, c
cap. 6.
præpot
exqua
chardu
intenti
suorum

enim tam desides & tepidi su-
mūs in divino officio, quia ante
non sumus in aliqua devotione
exercitati, & ita sicut intravimus
frigidi, eximus corde dissoluti,
inquit ille.

Præparatio ad Divinum Offi-
cium, ut multa alia præteream,
in duobus consistit: In puritate
intentionis & Conscientiæ; Ex
intentione enim omnis noster pro-
fectus pendet; quia qualem nobis
finem proposuerimus, tales pro-
fectò actiones evadent. Malus
homo de malo thesauro profert
mala, docuit nos Christus *Luce*
cap. 6. v. 45. Per malum thesaurū
præpostera intentionē denotat,
ex qua malū opus prodit. Et Ri-
chardus Victorinus: Ex prava
intentione operantes necatores
suorum filiorum appellat; Sic e-

nim ait de statu inter hom. Quid enim juvat bonorum operū problem gignere, & eam per intentiōnis depravationem necare. Porrō legitimus finis, ad quem divinum Officium præcipue dirigi debet, est Deo debitus census laudis persolutio, totius Ecclesiæ utilitas, & proprius prefectus recitantis ; Quidquid aliud præter hunc finem spectes, ut si tantum temporale cōmodum, & ut quotidianas distributiones facias tuas, præpostera intentio est, jam non operaris secundum finem tui muneris germanum, & proprium, carebis æterna mercede : Hinc illa Cassiani, expendētis illa Psal-mistæ Psal. 14. v. 5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Omnis, inquit, qui eloquia DEI, & (idem dic de quavis studioſa

ope?

operat
etiam
cunia
non so
sed et
Ob ho
maluit
porale
cedem
script
est, r
ille.
Re
purita
cus, f
ras Ca
ris rat
mortua
Quare
& affli
os tui
nam,

operatione) humanæ laudis, adde etiam lucri amore dispensat, pecuniam suam erogat ad usuram, non solum nulla pro hoc præmia, sed etiam supplicia meriturus.

Ob hoc enim pecunias Domini maluit profligere, ut ex ipsis temporalem ipse consequeretur mercedem, non ut Dominus, sicut scriptum est, veniens, quod suum est, reciperet **cum** usura. Sic ille.

Requiritur etiam conscientiæ puritas à culpa mortali. **Canonicus**, seu quis aliis recitans horas Canonicas, & proprij munieris ratione, existens in peccato mortali, Deum graviter offendit. Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum; tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos

retrorsum. *Psal.* 49. Et *Ecccl* c.
15. v. 9. Non est speciosa laus
in ore peccatoris. Fœtidum il-
lius os, non nisi malum odorem
exhalat, sibi ipsi nocet, quia si-
milis Uriæ efficitur, qui, ut est
in Historia sacra Regum cap. 11,
v. 14. tulit in sinu litteras mor-
tis suæ, at ille ignorabat, quid
lateret in litteris; tu verò mani-
festam cōtra te ipsum sententiam
profers, quoties cum Psalmista,
& cum Prophetis divinam indi-
gnationem, & maledictionē pec-
catoribus imprecaris.

Maledicti, dicis, qui declināt
à mandatis tuis. *Psal.* 118. v. 21.
at tu unus ex illis es? Similis
est hujusmodi divini officij reci-
tatio arcui perverso, qui sagittas
jaculans ferit sagittarium: aéri,
aut cymbalo tinnienti, qui alijs
dat

dat sonum, & remanet is sine so-
no; Evidem scientia auget pec-
cati malitiam, & ex culpa pœnæ
reatum, & major judicij distri-
ctio colligitur ex cōmuni Theo-
logorum consensu. Audi Diony-
sium Carthusianū *in cap. 4. Iac.*
Ei, qui scit, ad quæ obligatur,
quid facere, quid vitare jam de-
beat, nec tamen juxta suam pe-
ritiam laudabiliter conversatur,
scientia est majoris culpæ, & pœ-
næ occasio, & culpabilior, atque
damnabilior.

Nocet etiam sibi ipſi hac alia
de causa, quia cum aliquo inor-
dinato affectu iste feratur, etiam
dum cantat in choro, seu priva-
tim recitat divinas Laudes, sem-
per totus est in id, quod ille af-
fectus obiectit, sive sit odium in
quarenda vindicta; sive amor cō-

cupiscentiæ in re concupita, si-
 ve quid aliud. Quintilianus Lib.
 18. c. 1. Egregiè probat virum
 improbum oratore esse non pos-
 se, multasque causas affert, sed
 hanc unam præsertim: Nihil e-
 nīm est tam occupatū, tam mul-
 tiforme, tot, ac tam varijs affe-
 ctibus consciuum, atq; laceratū,
 quam mala mens. Meritò, si hac
 impediunt, ne iste rite oratoris
 officio fungi possit apud homi-
 nes; multò minus erit dignus o-
 rator apud Deum. Privatur ob
 culpæ mortalis reatum divino lu-
 mine, quo dignè, & attentè psal-
 lētes cœlitus perfunduntur, sua-
 vitatem divinorum eloquiorum
 non degustat, ineptum se reddit
 ad divinam gratiam. Siquidem
 improbitate cœcatus mentis ocu-
 lus, & caligante sibi iniquitate
 pro-

profunda misteria invenire non potest. In malevolam animā non cadit sapientia: ait cum Sapiente D. Ambrosius *in Psal. 118.*

Non distracte, aut quasi aliud agens, sed attente, ac devotè recitabis divinum officium, singula verba benè proferes, non truncabis, seu dimidiabis, ad verba, quæ dicis, & ad sensū illorum, quantum potes, attende, ut affectum tuum, Psalmi affectui accōmodes. Ex sentētia D. Bernardi *Lib. de vitæ solit.* Nunquā intelleges David, donec ipsos Psalmorū affectus indueris, sicque de reliquis, sic fructuosè precaberis. Nescit comedere, qui nescit masticando è cibis saporem elicere, nec palatum habet, nec fauces ad manducandum, qui sapores hujusmodi sentire non prævalet,

inquit Guilielmus Parisiensis *Lib.*
Decret. Sed nihil efficacius ad te
colligendum in tempore Divini
Officii, ut illud attentè, ac devo-
tè recites, quām si Dominum te
intuentem, atque audientem se-
riò ante mentis tuæ oculos con-
stituas: Ita te docet Thomas à
Kempis *de discip. clav. cap. 2.*
Recordare dilecti Domini IESU
in præsepio jacentis, aut in cru-
ce pendentis, aut in cœlo ad tē-
torium Patris, tanquam coram eo
assisteres, & cantares. Ipse sit in
corde tuo, & in labijs tuis ad
pronuntiandum apertè, & distin-
ctè verbi Spiritus Sancti, cuius
ope, & arte divinum officium or-
dinatum est. Statue IESUM ad
dexteram, & MARIAM ad sini-
stram tuam, & omnes Sanctos in
circitu eorum. Omnes Fratres
tui

tui sint tanquam Angeli Dei, & cum quibus nunc psallis in ter-
ris, spera etiam te cantaturum in
cœlis. *Hæc omnia Thomas.*

Cuicunque Horæ Canonice congruum temporis spatium, & minimè angustum assignabis, ne propter temporis brevitatem festinare compellaris, ut ea quæ dicis, attendere, & degustare non possis: Evidem hoc etiam in aliquibus Sacerdotibus deplorandum est; cum de negotijs sacerdotalibus agitur, de jocis, de confabulationibus, nulla ratio prorsus de jactura temporis habetur, dilapidatur tēpus absumitur, perditur. Audi, quid isti dicunt ex D. Bernardo *Serm. de triplici cust.* Libet confabulari, ajunt, donec prætereat hora, ô donec prætereat hora, ô donec pertrāseat tem-
pus.

pus. Donec prætereat hora, quam
tibi ad agendā pœnitentiā, ad ob-
tinendā veniā, ad acquirendā gra-
tiam, ad gloriā promerendam mi-
seratio Conditoris indulget &c.

At si de divino officio agitur,
de suis functionibus rite obeun-
dis adeo avaros circa tempus se
præbent, ut in pondere, in men-
sura, in lance ponant tēpus, quod
in ijs exercitijs spiritualibus in-
sumere debent: Profectò hoc fa-
ciunt, qui palatum internū mor-
bo aliquo infectū habent; idcir-
cō spiritualia istis, vel nihil sapi-
unt, aut dulcescunt in aure, ma-
jore, quā possunt brevitate, atq;
celerite ab hisce se expediunt:
Dulcia illis videntur amara, & a-
mara dulcia; non sic verè pij, qui
sanum habent palatum, & linguā,
sentiunt dulcedinem, & incredi-

bi-

bilem suavitatem capiunt ex rebus spiritualibus, atque in ijs immorari, quantum oportet eos non piget, quia erga illas sunt bene affecti. Non incognitus fuit hic morbus Thomæ à Kempis *P. p.*

,,ferm. cap. 6. Pessimus aliquorum usus est, quod dicere pudet, quod in dormitorio, seu in lecto diu phantasando vigilant, & in Ecclesia; & in Choro praeterea, & in devotionis dormitant. Hi sibi, & aliis frequenter nocent, nec Christo strenue militant, neque pro benefactoribus, & tribulatis fideliter orant. Valde enim grave Deum offendunt, piger surgendo, tarde sapienter veniendo, tepidè psallendo, verba corrumpendo, crebrus oscitando, vagè circumspiciendo, male advertendo, negligi-

„genter inclinando, de longitu-
 „dine Psalmorum attædiando, &
 „ad finem festinando. Gaudent
 „ad sonum refectorij, horrent
 „signum Capituli, properant ad
 „fabulas, tardè intrat ad cellam,
 „languent ad opera, fervent ad
 „fercula bene parata. Omnia ista
 „signa sunt parvæ devotionis,
 „magnæ ingratitudinis, & vehe-
 „mentis Confusionis. Heu non
 „est amor Dei ante oculos isto-
 „rum, non amor Dei in corde,
 „non laus ejus in ore, sed fraus
 „in voce, tremor in actione.

Hucusq; Kempensis.

Divino Officio finito, audi
 „quid dicat idem Thomas? Non
 „statim te effundas ad exteriora,
 „ne perdas gratiam, quam con-
 „secutus es orando; sed potius
 „post vota labiorum tuorum te

re-

„recollige, & in majore gratiarū
 „actione ab omni strepitu solus
 „permane, ruminando quæ audī-
 „sti cantari. Quid prodest unā
 „horā laudare Deum, & alia sa-
 „cularia, & inania tractare? No-
 „li pretiosum fructum orationū
 „tuarum, & labiorum divini o-
 „peris pro vilibus expōere jocis,
 „& nugis; Nam citò perit de-
 „votio, quæ non custoditur sub
 „silētij fræno. Quod docet Tho-
 mas de vocali, idem etiam serva
 de mentali oratione finita.

REGULA VI.

Confessionis Sacramentalis usus,
 si non quotidianus, saltem fre-
 quens sit Clero Seculari probè
 commendatus.

NIhil hoc loco de culpa morta-
 li, quis enim credat Sacerdo-
 tem esse suę salutis adeo imme-
 mo-

morem, ut sibi de illa conscientia
sine sacramentali expiatione au-
deat vel Missam celebrare vel a-
lias sacras functiones obire! hunc
sanè non Christi ministrum sed
Sathanæ, & ipso Juda proditore
peiores dixerim esse; Sed su-
detur hic frequens usus Sacra-
mentalnis Confessionis respectu e-
tiam levium culparum, & quoti-
dianorum defectuum, qui nobis
ob nostram fragilitatem, vel incu-
riam familiares esse solent, &
quidem gravissimis rationibus.

E quidem mihi non parvum pu-
dorem, & timorem pariter incu-
tiunt illa Divi Hieronymi. *Lib.*
ad Vigil. Ego confiteor timore
meum, ne forte de superstitione
descendat; quando iratus fuero,
& aliquid mali in animo meo co-
gitavero, vel me nocturnū phan-

taſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo; ita totus & corpore, & animo contremiſco,

De ſolo in Eccleſiam ingressu loquitur h̄ic D. Hieronymus, à quo ſe deterreri fatetur à conſentia venialium culparum, quid de Miſſæ celebratione, & Sacra-mentorum administratione, cæterisq; ſacerdotalibus munijs di- xiſſet? Cauſam hujus justi timo- riſ in viriſ pijs, ac probiſ reddit D. Bonaventura P. p. *Spec. p.* 213. Qantò quis, inquit, fuerit mente purgator, tanto ſe fordinio rem videbit, & maiores Cauſas humiliaſionis inveniet.

Prima ratio ſumitur ex illis D. Joannis Evangeliftæ. *Ep. i. c. i, v. 8.* Si dixerimus, quia pecca- tum non habemus, ipſi nos ſedu- ci-

eimus, & veritas in nobis non
est Ergò, sic benè infert B. Au-
gustinus *in Psalm. 99.* Semper
confitere, quia semper habes,
quod confitearis ; difficile enim
est in hac vita. ut sic homo mun-
detur, ut nihil inveniat in se,
quod confiteatur. *Hoc ipsum cō-*
cludit D. Gregorius Libr. 2. in
Reg. cap. 1. Quia sine peccato
electi etiam viri esse non possunt,
quid restat, nisi ut à peccatis,
quibus eos humana fragilitas ma-
culare non desinit, evacuare quo-
tidie conentur ?

Aliam causam assignat idē Gre-
gorius *Lib. 20. moral. cap. 9.*
Si curare parva negligis, eadēq;
fle, & devitare à statu justitiæ,
non quidē repente. Sed partibus
totus cades. Idem etiam evenit
hic, quod in corporibus, ait opti-
mè

mē S. Ioannes Damascenus. In corporibus, qui parva vulnera negligunt, famem plerumq; ac mortem sibi ipsis accersunt; Ad eundem modum etiam in animis hoc usu venit, ut qui minima via, ac peccata nihili pendūt, graviora sibi inveniāt. Igitur celeri curatione opus est. Adde ex Richardo Victorino *Cap. 35. in Cār.* Quod levia peccata, si statim per poenitentiam non deleantur, obscurant animum & impedimentum faciunt amplioris gratiæ, minus enim gratiæ, quæ à sacerdote copiosior hauriretur ex Missæ celebratione, & alijs Ecclesiasticis functionibus, sitque incapax amplioris gratiæ. Ex quo postea sequitur, ut sacerdos, qui longius in hisce levioribus culpis sponte immoratur, eō magis sem-

per

per in via perfectionis retrogradatur. Quotidiè id nos usus docet: Plus potest res infirma, & parva remorans, quam magna, & valida impellens. Vulgatnm est proverbium Nautarum! In remigio plus posse remigem unum inhibentem, aut renitente, quam decem remigantes.

Hoc etiam certum est ex omnium Theologorum consensu, Levia peccata sine actu pœnitentiæ deleri non posse, cum enim etiam in his venialibus culpis deordinetur voluntas per inordinatam conversionem ad bonū creatum, ut ait S. Thomas 3. p. question. 87. art 1. 12. Hæc deordinationis tollitur per pœnitentiam, & quamvis hi actus pœnitentiæ multis modis elici possint, quo etiam sit, ut multis modis pecca-

ta venialia deleri possint, quos idem Beatus Thomas enumerat, potissimum tamen, & certius ad illa tollenda antidotum est Sacramentalis Confessio, quia ut optimè ait Beatus Bernardus *De interiori domo cap. 37.* postquam dixit omnia peccata nostra in divino conspectu scripta esse, subdit: *Quod ibi scribit transgres-
sio, hīc delet Confessio.* Multa insuper alia incommoda spiritua-
lia secum defert, quæ à Sacerdo-
te non modò spernenda nō sunt,
sed summoperè amanda, & quæ-
renda, & quò frequentior erit cō-
fessio, eò ubiores fructus ex ea
emanabunt.

Ex frequentiori usu Confessio-
nis Sacramentalis majus semper
lumen accipies ad tuos defectus
dignoscendos, quæ quidem scien-

tia à suæ salutis studioſo magnopere exoptanda est. Praeclara similitudine S. Bonaventura *I. P. Spec. p. 2. c. 3.* hoc nobis insinuat. In domo, inquit, quam subintrans solis radius illuminat, quantumcunque licet fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius apparent: Sic & cor radijs gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Magna & admirabilis est vis divinæ laudis, quam Deus per virtutem hujus Sacramenti in animam nostram infundit.

Magis etiam sedantur inordinati tum corporis motus, quibus sedatis, magis acuitur oculus mentis ad deprehendendos, & ad errata sua, uti sunt estimanda. **Quemadmodum,** inquit B. Dia-

do-

dochus Lib. de perfect. op. c. 27.
 Oculi nostri corporis, cum sani
 sunt, cuncta cernere possunt, e-
 tiam culices in aere volitantes :
 Cum verò turbati sunt, aut quo-
 dam humore suffuso septi, si quid
 in eorum aspectu occurrat gran-
 de, hoc tenuiter cernunt, minu-
 ta verò non sentiunt; sic anima,
 si ardorem ex cupiditate mundi
 collectum studiosè restrinxerit,
 etiam valde parva errata, pro-
 gravissimis dicit.

Uberioris gratiæ thesaurus in
 te locupletabitur, ex quo ad vi-
 tam tuam melius in dies institu-
 endam, moresque tuos componē-
 dos, robur accipies.

Magis illuminaberis ad cognoscendam dignitatem tuā, ac sanctitatem functionum, quæ tui munieris propriæ sunt.

Puriūs, ac perfectiūs Dei, & animarum servitium urgebis, quò enim frequentiūs cōscientiæ tuæ domus mundatur, eò purior erit.

Frequentiūs etiā actus multarum virtutum, nempè humilitatis, spei, divini amoris, detestationis peccati, & aliarum virtutum exercentur, quarum frequentati actus magnum meritorum cumulum faciunt.

Postremò David, qui tamē Sacerdos non erat, frequentissimè suorum peccatorum confessionē repetebat, ut divinam misericordiam impetraret, quinimò multitudinem miserationum, ut ipse met deprecatur, obtineret; quid nos facere convenit pro quotidianis culpis? Ille, inquit D. Ambrosius in *Apol. I. de David*

cap.

cap. 8. pro uno peccato multitudinem miserationum deprecatur; nos pro pluribus peccatis vix semel ejus misericordiam credimus obsecrandam. Amplius lava me, (*dicebat David Psalm. 50.*) duxa similitudine ab infectoribus pannorum, uti enim pannus pluribus coloribus inficitur, ut ultimò tandem imbuatur; ita & anima frequenti confessione expiri debet, ut abundantius divinâ gratiâ locupletetur. Alia vide in Curatore animarum *P. 2. cap. 4.*

pag. mibi 86.

REGULA VII.

Purus mente, corpore præparatus, precibus præmissis, virtutum ornatu, humiliato corde, püssimis affectibus accedat ad Altare, Sacrosanctæ Missæ tremendū Sacrificium: non nimis lente, ne tæ-

dio afficiatur populus, nec nimis
properè, rubricas exactissimè ob-
servando devotissimè celebret; fi-
nito *Sacro Gratiarum actionem*
tum vocaliter, tum mētaliter Deo
referat, eamque, recitatione Horæ
Nonæ claudat.

EX sententia Thomæ à Kempis
Lib. I. de vitæ solit. c. 25. quæ
communiter probatur ab omni-
bus, & quotidiano experimento
confirmatur, ideo nullū, aut sal-
tem exiguum fructum de mensa
Domini reportamus, quia nec an-
tè bene parati ad illam accedi-
mus, nec postea stamus supra cu-
stodiam nostram, non recogitan-
tes, quia Sanctus Sanctorum in-
gressus est ad nos. Quædam igi-
tur antè, quædam in ipsa Missæ
celebratione, & quædam post, ti-
bi servanda proponuntur.

Ad

Ad dignam Missæ celebratio-
nem, afferes primò conscientiæ
puritatem à culpa mortali, & ve-
niali etiam, quantum poteris, nā
etsi peccatum mortale sacrificij
valorem neque tollat, neque di-
minuat, tu tamen, quia indignus
illud administras, judicium ac da-
mnationem tibi ipsi acquiris. Et-
si Missam celebres cum peccato
veniali voluntario, cuius neque
confessio, neque dolor præcessit,
habitualem quidem gratiam reci-
pies, sed gratia actualis impedi-
tur, quæ est refectione mentis, gu-
stusq; Dei specialis, atque virtu-
tum lumen resplendens in mente, &
vigor in voluntate ad omne opus
bonum. Quæ quidem jactura nō
in parvis, sed in magnis damnis à
Sacerdotibus fūx salutis studio-
sis cōnumerari solet. Verū nō

D 3

est.

est satis, te esse purum, quia & purum te esse oportet, & omnibus excultum virtutibus, ut etiā ex parte offerentis ipsi Deo sacrificium fiat acceptabilius, tibi, ac universæ Ecclesiæ utilius.

Nec etiam impræparatus accedas, hoc enim divinum mysteriū; primum, ac maximum negotium tibi meritò esse debet, ab hoc quippe Sacerdos diceris, ab omnibus quodāmodo coleris, & Ecclesiæ proventu honorificè sustentaris. In hoc cùm primo mane evigilaveris, animum tuum intēde, ut hanc præstantissimā functionem, majori quā poteris reverētia, ac devotionis affectu perficias, in hunc etiam finem mentalem, ac vocalem orationem tuam diriges. Nec equidē illorum sacerdotum consuetudinem proba-

bare unquam potui, qui exiguum
 illud tempus, quod Missam im-
 mediatè præcedit, in sacristia hu-
 ic tribuunt præparationi; nam
 nimis brevis hora illa est, nec
 præstantiæ, ac dignitati tanti ne-
 gotij sufficiens. Thomas à Kempis
 tam insignis vir diligenter consi-
 derans virum, tempus, & expen-
 sas factas in fabricâ arca (*Lib.*
4. de imit. Cbr. c. I. n. 3. § 4.)
 Necnō in arca testamenti ac cō-
 struendo templo seipsum repre-
 hendebat, quod non nisi horam
 dimidiam daret præparationi ad
 Missam. Quin etiam tanta est hu-
 jus divini mysterij præstantia,
 quod si sacerdos totius vitæ suæ
 tempus in se præparando insu-
 meret, ut unâ vice tantum dignè
 hoc sacrum ministerium perage-
 ret, rectè, ac sanctè impensum

putaretur. Deinde breve illud temporis spatiū multis interdū distractionibus turbatur, non deſunt muſcæ, quæ mentem nostrā vexant, pijs affectibus potius, qui in mentali oratione, & alijs pijs exercitationibus in hunc finem excitati fuerunt, exfuscitandis, renovandisque inservire debet, & ad nos colligendos.

Unius Missæ celebratio, alterius Missæ optima præparatio fit; etenim hoc Sacramentum tantæ dulcedinis, ac suavitatis est, cùm in eo hæc spiritualis dulcedo degustetur tanquā in fonte, hoc est in ipso Deo; ut quò magis frequentetur non quidem satietatē, sed majorem famē, ac desiderium hujus panis cœlestis pariat, quæ postea fames in purgatis mentibus majoris præparationis stimulus est peracutus.

Cx-

Cæterum digna præparatio,
 quæ tanti Sacrificij Majestati re-
 spondeat, non est humanarū vi-
 rium. Hinc D. Ambrosius: **Quis**
 „dignè hoc Sacrificium celebra-
 „re poterit, nisi tu Deus Omni-
 „potens efficeris dignum: Scio,
 „& verè scio, & hoc ipsum tuæ
 „pietati confiteor, quia non sum
 „dignus accedere ad tantum my-
 „sterium propter nimia peccata
 „mea, & infinitas negligentias.
 „Sed scio, & verè scio, quia po-
 „tes me facere dignum, qui so-
 „lus potes facere mundum de im-
 „mundo conceptū semine. Ve-
 rumtamen cum omni cordis hu-
 militate appropinqua Deo, & i-
 pse appropinquabit tibi. Aperi
 Christo pulsanti, fac quod tuum
 est, & ipse adjuvabit infirmitatē
 tuam, facietque quod suum erit.

Facturus Sacrum, nihil nisi sublime, ac cœlestis spectabis, & quæres nihil, nisi majorē Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, spiritualem salutem, tum tuam, tum proximi tui, & erga animas in purgatorio detentas suffragia, nō autem inanem gloriam, ut deatus ab omnibus habearis, non aridam quandam, & insipidam celebrandi consuetudinem, non temporale lucrum.

Accedes cum magna devotione, quam excitabis attenta, ac seria meditatione hujus tanti mysterij; actus fidei præcipue elicies, Sacramentum enim hoc fidei est, & sine fidei operatione nequit devotè, ac ritè tractari; Ideò enim multi Sacerdotes sine spiritu, sine affectu, sine timore, indecorè, & aliquando etiam' indigne,

gnè, cum festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi non credant sub speciebus, panis & vini, quas habent præ manibus, post verba consecrationis adefesse corpus, & sanguinem Christi, e- jusdem animam per naturalem colligationem, ac pariter divinitatem per inseparabilem unionem, quasi fide non videant ipsum Dominum ibidem præsentem, & ipsos præsertim intuentem. Mis- sam celebratus fidem exerce circa hoc Sacramentum, & ipsa, qualem te præbere debeat in illo peragando, optimè instruet.

Excitatur etiam devotio spei firmitate, certo sperans virtute tanti Sacrameti modo tu ipse nō ponas obicem, divinam gratiam, cœlestesque thesauros consecuturum. Ad quid enim hic aman-

tissimus Deus se credit manibus
tuis, nisi ut ditet paupertatem
tuam divitijs suis.

Sed nihil utilius, quam si actus
amoris elicias erga tantum Domi-
num. Mensa hæc igne spiritua-
li plena est, & quemadmodum
fontes scaturiunt aqua, ita hæc
mensa flammarum divini amoris fo-
vet, ait Divus Chrysostomus. Ut
verè saxeus, vel etiam æneus sit
Sacerdos, qui ad tanti ignis præ-
sentiam, si non liquefiat, non in-
calescat saltē. Accede ergo ve-
rè amans ad peragandum amoris
Sacramentū, & amoris affectibus
non privaberis, gustabis, quam
sit suavis Dominus.

Dum Misiām celebras, consi-
dera te tunc vicem Christi sum-
mi Sacerdotis gerere, oculis ac
totius corporis gestu benè com-

po-

posito affiste. Age quod agis, & omnia cum magna reverentia interius, ac exterius perfice. Christus corpore, & mente tuam salutem operatus est, tu etiam hoc mysterium in redemptionis tux commemorationem institutum, animo, & corpore pariter comitare.

Ad reverentiam interiorē spectat quarundam virtutum exercitatio, videlicet religionis, humilitatis, Fidei, spei, ac charitatis, ut jam dixi, sed actualis attentio præcipue. In hora Sacrificij, inquit B. Esaias Abb. or. 3. resistere cogitationibus, & sensus tuos continens in timore Dei, mysterijs dignus efficiaris. Præfigurabat hoc Aaron, tēplum ingressurus causa sacrificij, qui laneis depositis, lineis induebatur ad signi-

gnificandum deponenda esse va-
na omnia à sacerdote, cùm ad al-
tare accedit. De hoc ipso mo-
net populum sacerdos, cùm ait,
sursum corda, & dum respondet
populus, Habemus ad Dominū,
admonetur sacerdos ipse, se nihil
aliud tunc temporis curare debe-
re præter Deum.

Reverentiam verò exteriorem
multa juvare possunt. Conside-
ratio divinæ præsentia Christi,
qui modo Sacramentali sacerdoti
sacrificanti præsentissimus adest.
Non cogitas ipsum hic adesse in-
visibiliter Dominū, qui uniuscu-
iusque motū metitur, & consci-
entiæ rationem habet, *inquit S.*
Chrysostomus Hom. I. in illud I-
saiæ Vidi Dom. O si liceret ocul-
lis intueri, quātā reverentiā An-
geli assistunt sacerdoti celebra-
n-

ti: Vultum demittunt, non au-
dient liberè intueri, admirantur
cum tremore, alis faciem tegunt,
ita Chrysostomus. Peccator autē
illi distractus assistet? præcipi-
tanter, & irreverenter hoc mini-
sterium peraget?

Accurata, ac devota observa-
tio sacrarum ceremoniarū. Ha-
bent Reges & Principes suas ur-
banitatis leges, quas præterire
nefas est. Meritò de hac re tan-
ti momenti, ita Concilium Tri-
dentinum *Sess. 22. de obs r. Miss.*
Quanta cura adhibenda sit, ut sa-
crosanctum Missæ sacrificium o-
mni Religionis cultu, ac venera-
tione celebretur, quivis facile e-
xistimare poterit, qui cogitārit,
maledictum in sacris litteris e-
um vocari, qui facit opus Dei
negligenter.

Quid

Quid si necessariò fatemur,
 nullum aliud opus adeo sanctum,
 ac divinū à Christi fidelibus tra-
 ctari posse, quām hoc ipsum tre-
 mendum mysterium, quo vivifica
 illa hostia, quā Deo Patri recon-
 ciliati sumus, in altari per sacer-
 dotes quotidie immolatur. Satis
 etiam appareat, omnem operam,
 ac diligentiam in eo ponendam
 esse, ut quantā maximē fieri po-
 test cordis munditie, ac puritate
 atque exteriori devotione, ac pie-
 tatis specie peragatur.

Quod si Deus in veteri lege
 Moysen ad observatiā ceremonia-
 rum in sacrificijs illis ita urgebat,
 ut contra illarum transgressores
 multa mala fuerit comminatus.
 Quod si audire nolueris vocem
 Domini tui, ut custodias, & fa-
 cias omnia mandata, & ceremoni-

as, veniēt super te omnes maledi-
ctiones istæ, & apprehendent te,
Dent. cap. 28. v. 15. & tamen in
illis sacrificijs offerebantur non
nisi tauri, arietes, & alia anima-
lia huiusmodi, quid in augustif-
simo Missæ sacrificio?

Verum has sacras ceremonias
perfectè, ac decorè nunquam fer-
vabis, nisi earum significatione
optimè noveris, quam quidem si-
gnificationem apud multos Au-
tores licet invenire, hac enim
ratione eis debitum cordis affe-
ctum accommodabis, ut quod cor-
pore exteriū facis, facias & mē-
te; Si genu flectis, ita genu flectas,
ut Deo submittas, si caput incli-
nas, inclines & mentem, ut Dei
amorem concilies. Acceptus est
Regi minister intelligens, hoc est
accuratus, qui suum munus obit

di-

diligenter, ait Salomon Proverb.
cap. 14. v. 35.

Juvat etiā actualem attentionē, si verba proferas ita clare, & distinctē, ut à circumstantibus commodè intelligi possint, & tu ipse ad ea, quæ dicis, mentem applicare valeas, quo hujus divini mysterij dulcedinem suavius, atque diuturnius degustes; etenim si cibum, etsi dulcem, atque suavem statim deglutias, parum, aut nihil de ejus suavitate præsenties: at si paulatim dentibus conteras, atque rumines, palatum tuum illius dulcedine, & sapore repletur, quare non festinanter, nō distractē verba proferenda sunt, sed distinctē, atque ideo illa temporis mora hac in re ponenda est, quam tanti negotij dignitas requirit. Quòd si B. Augustinus

de

de nonnullis Sæcularibus ita cō-
 „queritur serm. 25. de temp. Ad-
 „huc quoque quod valdè dolen-
 „dum est, conqueri vobiscum
 „volo, quod sunt aliqui, & ma-
 „ximè potētes hujus sæculi, qui
 „dum veniunt ad Ecclesiam, non
 „sunt devoti ad laudes Dei, sed
 „cogunt presbyterum, ut abbre-
 „viet Missam, & ad eorum libi-
 „tum cantet, nec ei licet morē
 „Ecclesiasticum sequi, propter
 „illorum gulam, & avaritiā, qua-
 „tenus unus punctus dei ad offi-
 „cium, & reliquum diurnū spa-
 „tium simul cum nocte ad eorū
 deputetur voluptatem. Multò
 magis Sacerdotes illi arguendi
 sunt, qui ut eorum sæcularium
 gratiam aucupentur, vel etiam ex
 propria indevotione Missam prœ-
 cipitanter celebrant, nimis cele-

riter se expediunt, & quidem nō
sine parva jaētura sui spiritualis
profectus, tanti Sacramenti irre-
verentia, necnon & magna ad-
miratione piorum fidelium astan-
tium.

Maximus fructus hujus sacri-
ficij positus est etiam in usu po-
stulationis: habes thesaurum in-
finiti valoris præ manibus; cur
ergo ex illo ditescere non studes?
Ut persona publica, & nomine
Ecclesiæ hoc sacrificium offers,
pro omnium salute illud offerre
debes, & pro ijs, quibus aliqua
obligatione teneris, etiam pro a-
nimabus purgatorijs, quibus præ-
ter sacrificij valorem plenariam
aliquam Indulgentiam ex icun-
cula benedicta, aliove speciali
privilegio, applicare optimum e-
rit. Neque verò tua mens ita ex-
cur-

currat ad alios, ut tui ipsius obli-
viscaris ; Pete igitur magna cum
fiducia, ut Deus ex merito tanti
sacrificij ditet paupertatem tuā,
veras animæ divitias elargiatur,
postula quidquid tibi fuerit ne-
cessarium, sive ad vitia extirpan-
da, ad edomandas pravas animæ
affectiones, sive ad virtutes com-
parandas, atque eā maximè, qua-
te potissimum indigere noveris.
Et cum mōra illa, quæ in Cano-
ne Missæ, huic postulationi con-
ceditur, ex consuetudine Eccle-
siæ sit admodum brevis, ante
Missam tuum libellum supplicem
præpara, quē postea Divinæ Ma-
iestati tunc temporis offeras, nō
ore sed mente, non verbis, sed
affectibus, quod etiam à nonnul-
lis probis sacerdotibus usitatum
scio. Noli quæso ab audientia,
quin

quoniam à complexibus summi
Regis descendere, nisi gratiâ aliquâ
impetratâ.

Praeterea Missæ Sacrificio, quod
sequitur tempus, omnino prætio-
sum est, nullum commodius, in
quo negotium animæ tuæ cum
Deo tuo tractes, cùm ipsum in
præcordijs tuis teneas: Acceptū
ignem in sinu tuo fove, ut urat
magis. Quis tam frigidus, in
cujus sinu talis ignis reconditus
cùm sit, non caleat? Certè id si-
gnum esset, aut spiritualis mor-
tis, aut ad mortem disponentis
stupiditatis. Post Communionē,
inquit B. Bonaventura *Tract. de*
propri. ad Miss. cap. 14. si non
fentis aliquam spiritualem refe-
ctionem, signū est spiritualis in-
firmitatis, vel mortis. Ignē po-
suisti in sinu, & non sentis calo-
rem,

rem, mel in ore, & non sentis
dulcedinem.

Sacris ergo depositis vestibus,
collige te ipsum, & quiesce ali-
quantulum recogitans dignitatem
hospitis, qui in domum tuam
intravit, & sacrificij, quod
tunc perfecisti, nobilitatem.
Ma-
iori qua poteris humilitate de e-
ximio beneficio accepto gratias
age. Quis ego sum servus tuus,
quoniam respexisti super canem
mortuum similem mei 2. Reg. c.
9. v. Dixit Miphiboseth ad
David Regem, eò quod David
illum ex commensalibus suis u-
num fecerat. Absurdum enim,
& ingratissimum est, tanto hospi-
ti gratias aut nullas, aut tepidas
referre, illumque solum, & in sa-
lutatum relinquere, & ad externa
negotia transire, Et si post sum-
ptam

ptam refectionem ob valetudinē
corporis quiescis à negotijs, &
laboribus, ut calor naturalis ci-
bum in alimentum trahat, cur nō
hoc idem præstas finito hoc sa-
cro convivio per semihoram, aut
saltem per horæ quadrantē; Ut
huius Sacramenti virtus in animæ
tuæ vires cōmodius diffundatur.
Veniam supplex à Domino pete,
si non eā, quā debes reverentiā,
devotione, & charitatis affectu
tantum ministerium peregisti, ut
ipse in posterū juvet infirmita-
tem tuā. Te ipsum denuò tua-
que omnia huic tam de te bene-
merito Domino, quem propterea
in medio cordis tui sedentem tā-
quam Dominum tuum contēpla-
beris, offeres, dicesque: In me
sunt Deus vota, quæ reddam,
Psalm. 55. v. 13. Cūm certūm
sit,

fit, Christū in nobis verè, ac realiter manere, donec calor naturalis accidentia panis consumperit. Nec deerunt alia, quæ Sacerdotis devotio ex Spiritus Sancti unctione sibi ipsi adinvenire sollet.

Denique non immemor sis moniti D. Bernardi: Ubi cunq; fu-
eris, tuus esto, noli te tradere,
sed accommodare. Hoc est, non
itate effundas ad externa nego-
tia, ut à quiete cordis tui rece-
das. Cùm animus diuiditur ad
multa, fit minor ad singula; Et
si negotia sacerularia sint, cùm
sint alterius professionis, suffocat
spiritus, ac devotionis semen,
sunt veluti spinæ ex D. Chryso-
stomo *Homil. 37. in Evag.* Quia
ubicunque tanguntur tangentem
pungunt, ac lœdunt, nisi debit-

cautio adhibeatur. Cogita te crastina die esse celebraturū; Oportet, ut non solum te præpares ad devotionē, ante Communionē, sed ut te cōserves in ea post Sacramēti perceptionē. Nec minor custodia pōst exigitur, quam devota præparatio prius. Nā bona postmodū custodia, optima iterū est præparatio ad maiore gratiā consequendam. Ex eo quippe valdē indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. *Ita Thomas à Kempis de imit. Christi lib. 4. cap. 12.* Vide alia in curatore *Animarum p. 2. cap. ultim. miti pag. 104.*

REGULA VIII.

Clericus curatus, omni horā requitus, sit paratus ad Sacramētum administrationem purissimā conscientiā, sine anima sue derri-

mento, & magna cum cordis bilaritate, promptitudine: non attentâ laboris arduitate, potentibus, exactè, & solerter deserviat.

IN hac functione tanti momenti, te semper paratum, diligenter nec mercenarium præbebis; pauca dico sed multa complector, si enucleatius hæc tria à me posita consideres (de omnibus Sacramentis generatim loquor) quorum administratio ad tuum spectat officium, ut consuam brevitati.

At quid est semper esse paratum? meo quidem judicio duote postulare videtur. Alterum est, ut ita vitam, moresque cōponas, ut saltem à culpa mortali te servas innoxium, ut quacunque horā requisitus fueris. Sacramenta sine animæ tux detri-

mento ministrare valeas; nam et si ministri vitio Sacra menta suam virtutem non amittant, si ea tamen existens in mortali peccato administres, alijs quidem salutē, tibi verò aeternam damnationem acquiris, alios sanas, te ipsum interimis. Cui similes malos sacerdotes dixerim (*inquit Magnus Gregorius Homil. in Evag.*) nisi aquæ baptismatis, quæ baptizatos abluens illos ad regnum cœlorum mittit, ipsa postea in cloacam descendit.

Alterum verò est robur quoddam animi, magna cum cordis hilaritate conjunctum, quo nihil laboriosum putes, nihil arduū, nihil intempestivum, ubi de salute animarum agitur, nullâ tui commodi habitâ ratione.

An nescis, cum curam animarum

rum accepisti, te omnium servū
 effectum? an ignoras artem pa-
 storalem, artem summæ vigilan-
 tiæ, perpetuique laboris esse?
 Noli ergo delicatus esse in hoc
 opere; nam ad hoc bellum pera-
 gendum, non delicatis, & negli-
 gentibus Dominus indiget, sed
 robustis, ac strenuis militibus,
 qui bellum urgeant, quacunque
 horâ strenuè dimicent, & anima-
 rum spolia auferant de hostium
 manibus.

Dixi etiam addendam hilarita-
 tem, nam vocatus ad Sacramen-
 tum administrandum, illum, qui
 te vocavit, hilari vultu, serenâ
 fronte, blandis verbis excipe, mer-
 catores imitare, qui emptores ad
 suas officinas adventantes multis
 blanditijs, ac humanitatis signis
 excipiunt, alliciuntque: hic au-

tem non auri lucrandi, quod tādem perit, sed animas, sed cœlestes merces congregandi, tibi roties offertur occasio, quoties ad Sacramentum dispensandum vocaris; hoc esse non potest, nisi cum magno tuo fœnore, cum ex sententia Divi Prospere Lib. 2. de int. cont. cap. 6. de ijs, qui in cultura animarum elaborant. Alijs proficienibus, & ipsi proficiunt, & aliorum profectus, ipsorum gloria, ac profectus est, Titus Imperator dolebat, se diem illum perdidisse, in quo nullam gratiam in alterum contulisset.

Adde diligentiam, quæ, et si in omnibus actionibus virtutum, locum habere debet, sed in ijs præsertim, quæ circa Dei cultum, & salutem animarum versantur, ut bene, ac meritorie fiant. Hæc vero

verò diligentia in domibus posita est. Primo, ut moram, ac tarditatem, cum verē possis, fugias. *Ex Socrate: Ignaviae* inditum, est tarditas. Vera diligentia reprobat illud. Cras, & illud Veni postea, Quare non sufficit te esse paratū, nisi reipsa te paratum præstes, & rumpas moras. Appositè in hanc sententiam D. Gregorius Nazianzenus exhortans auditores ad recipiendum Baptismum: Ne dixeris, abi, & redi, & cras baptisabor, cùm hodie beneficium istud accipere tibi liceat.

Idem dic de Sacramentorum dispensatore, vocaris nunc, nunc etiam redde. Ille, qui petit, utitur jure suo, & ab eo petit, qui dare tenetur, cùm illius anima-

custos sis, ac pastor. Quoties ergò nulla legitimā causā intercedente, vel negas, vel longā dilationē interponis, justitiæ leges violas, illumque debito fraudas, officio, nec te levi culpâ illaqueas, cùm non rarò hujusmodi dilatio in animarum damnum redundet; tunc enim cùm à te petit, Sacramentum, benè paratus venit, vel aliqua sua necessitas spiritualis illum tunc temporis urget; tu moram interponis; ille verò ob humanam fragilitatem, & in bono inconstantiam amplius non revertitur, & tanquam fatua avicula ob aucupis impatientiam laqueos declinat; vel quia non superficit amplius tempus, ut persæpè evenit in ægrotis. Quâ ratione tantum damnum Domino tuo compensare poteris piger, imò crudel-

delis Sacerdos? Christus semper
patentes, ac semper manantes no-
stræ salutis fontes habet, tu verò
ob tuam pigritiam claudere vis?

Diligentia etiam in hoc eluce-
re debet, ut Sacra menta admini-
stres eā reverentiā, decore, ac
gravitate, quam tanti munera di-
gnitas postulat, non oscitanter,
non festinanter, non ex insipida
quadam consuetudine, non quasi
coacte. Vera diligentia jubet, ut
res non quovis modo fiat, sed be-
nè, sicut de pictore, inquit D.
Nazianzenus, qui nomen pictoris
meretur, non quia multa depin-
gat, sed quia benè, & ex artis
præscripto: Maledictus, qui fa-
cit opus Dei negligenter. *Ierem:*
cap. 18. v. 10. Gravissima pœna
est maledictio Dei. Veraciter
condemnamur, si per torporem,

ea, quæ bona sunt, agimus. Inquit S. Isidorus *Lib. 3. sent. cap. 19.*

Curabis etiam, ut vestes, sacra suppellex, & vasa omnia, quæcunque ad Sacramentoū administrationem necessaria, nitida, &, quoad fieri potest, pretiosa sint, & eodem nitore munditiæ ab accedentibus pariter suscipiantur.

Denique gratuitò Sacraenta administrabis. Gratis accepistis, gratis date. *Matth. cap. 10. v. 8.* Sie Christus Apostolis mandavit: Hoc est ex sentētia Hieronymi *in cap. 10. Matth.* Ego Magister, & Dominus absque pretio hoc vobis tribui, & vos sine pretio date. Gravissima sunt D. Ambrosij verba ex castigata Jezabel avaritia, & Elisæi commen-data pietate *Lib. 4. in Luc.*

Di-

„Disce congrua virtutis præcep-
 „pta, probavit fidem, qui mune-
 „ra recusavit. Disce utroque di-
 „ctorum, factorumque mysterio,
 „quid sequaris. Habes Domini
 „præceptum, Vatis exemplum.
 „Gratis accipere, gratis dare,
 „nec vendere ministerium, sed of-
 „ferre. Non enim pretio taxa-
 „tur oratio Dei, nec in Sacramen-
 „tis lucrum quaeritur, sed obse-
 „quium Sacerdotis.

Multa sunt, quæ te impellunt
 ad hanc avaritiæ labem longius
 propulsandam in Sacramentorum
 dispensatione, præsertim Decre-
 tum Concilij Provincialis VII.
 Ecclesiæ Mediolanensis, ut alia
 Concilia præteream, cujus haec
 sunt verba. Quoniam decet res
 sacras omnes, & Sacraenta im-
 primis, integre, sanctèque tracta-

ri, Parochi, alijque Sacerdotes, qui Sacramentum Eucharistiae exhibent, vel inserviunt exhibentibus, nihil omnino in ipso ministerio, nec sponte quidem dantibus possint recipere, suspensionis à divinis ipso facto incurrendæ pœna proposita. Idemque sub eadem pœna statuimus de confessarijs, qui in ministerio Sacramenti pœnitentiæ, vel pecuniam, vel aliud quidvis receperint.

Nullum est vitium tetrius, atque execrabilius, quam Sacerdotem Sacra menta dare ob quæstū, atque ex consequenti animam habere venalem.

Qui lucrum temporale, & non salutem animarum spectat in Sacramentorū dispensatione, quantum in ipso est, dedecorat ministerium suum, & facit, ut apud ho-

hominum opinionem ipsa Sacra-
 menta quodāmodo vilescant, ut
 egregiè annotavit D. Hierony-
 mus *in cap. 10. Matth.* Quia
 semper dona spiritualia, si mer-
 ces media sit, viliora fiunt, & ad-
 jungitur, avaritiæ condemnatio.
 Marcus Tullius in oratione pro
 Quintio ait: Nullum est officiū
 tam sanctū, atque solemne, quod
 non avaritia comminuere, atque
 violare soleat, *Hoc Cicero, et si*
non fidei lumine illustratus. Ti-
 mebat D. Paulus aliquam offensi-
 unciam, si vixisset ex Evange-
 lio, quod ei sine dubio licebat,
 hoc est, si sumpsisset alimenta ab
 ijs, quibus Evangelizabat, & no-
 luit accipere, ne daret offendicu-
 lum Evangelio: hoc est scan-
 dalum, quod erat passivum ob ma-
 lignitatem aliquorum.

Per-

Perdit libertatem suam avarus
Sacerdos, nec ritè suo fungitur
munere, nam est acceptator per-
sonarum; quia non animas, sed
sua lucria quærit. Non audet in
Sacramento pœnitentiæ peccan-
tes objurgare, aut negare absolu-
tionem ligato culpis, & censuris,
quique non sit dignè præparatus,
absolutioni suscipiendæ, & con-
sulenti de rebus ad conscientiæ,
& animæ salutem pertinentibus
respondet non ad veritatem, sed
ad voluntatem. Verè hic locum
habet vulgatum illud: Accipere
munus, est libertatem vendere.

Deperditur etiam bona opinio
apud populum, omnes enim ava-
ritiam Sacerdotis inter sacra a-
versari solent. Et sanè verissima
est illa D. Chrysostomi sententia
Hom. 23. in 2. Corinth. & digna,
ut

ut memoriaz mandetur : Nihil
sic ædificat sœculares, ut non ac-
cipere, ergo sic nihil illos non æ-
dificat, quam accipere.

Tandem qualis est Curatoris
animatorum amor in dispensatione
Sacramentorum facilè se prodit,
si mercedem, si lucrum tempora-
le concupiscit, & querit, mer-
cenarius est, & non pertinet ad
eum de ovibus ; Si verò exemplo
Pauli non querit, quæ sua sunt,
sed animatorum salutem, hic bo-
nus pastor est. Simon Joannis di-
ligis me plus his? pasce oves
meas, *Ioan. c. 21. v. 15.* non uti-
que dixit peregrinare, jejuna,
eleemosynas da, sed pasce, pasce-
re autem debet verbo, Sacramē-
tis, & exemplo. *Vide alia in Cu-*
ratore animatorum p. 2. c. 7. pag.
mibi 95 P. 4. cap. 10. mibi 250.
¶ cap. 12. 13. 14. RE-

REGULA IX.

*Oculus Domini, cœn præsentia
divina ante oculos mentis, veluti
scopus omnium cogitationum, &
actionum semper habendus.*

HÆc Dei præsentia mente con-
cepta, quòd omnia tua interi-
ora perlustrat, si in tua mente
continuò perseveret; haud dubio
ita mores tuos, actionesque diri-
get, ut te à Deo aspici non eru-
bescas, sicut oblivio hujus oculi
divini circumspicientis, & pene-
trantis omnia, inducit in nobis
omnem torporem, quinimò, &
peccata omnia: *Quis me videt?*
inquit impius, tenebræ circum-
dant me, & parietes cooperiunt
me, & nemo circumspicit me,
quem vereor? Eccl. 23. v. 26.
Ita hæc cogitatio divinæ præsen-
tiæ nos revocat à peccatis, & ad

virtutes existimulat; propterea
 Seneca ita consulebat *Epist. 25.*
 Aliquis vir bonus eligendus est,
 ac semper ante oculos habendus,
 ut sic tanquam illo spectante
 vivamus, ut omnia tanquam
 illo vidente faciamus. Magna
 pars peccatorum tollitur, si pec-
 caturis testis assistat. O felicem
 illum, quem nō tantūm aspectus,
 sed etiā cogitatus emendat. Quòd
 si tantam vim ad nos ipsos com-
 ponendos præsentiaꝝ viri probi,
 & gravis, vel solum cogitatꝝ tri-
 buit Seneca, qualem inesse pu-
 tasset in divinis oculis yerè, & re-
 aliter omnia penetrantibus à no-
 bis seriò recogitatis?

Evidē si huic divinæ præ-
 sentiaꝝ mentem assuefaceres, pri-
 mò omnem torporem, ac segni-
 ti-

tiem in divino servitio fugares.
Quis enim cogitans, & credens
se à Deo videri, tanquam judice,
vindice, & remuneratore, non
se præbeat diligentissimum ? O-
ptimè D. Bernardus *Serm. 2. in*
„Psl. 90. Expedit omni animæ
„Deum semper attendere tanquā
„própium, non modo adjuto-
„rem, sed etiam inspectorem.
„Quomodo enim negligens po-
„terit fieri, qui intuentem se De-
„um nunquam desinit intueri ?
„aut quomodo nō quasi propriū
„illum habere videtur, qui sic e-
„um super se videt intentum, ut
„omnia interiora ejus, & exteri-
„ora omni horâ considerare non
„cesset, omnesque non solum a-
„ctus, sed etiam ipsos subtilif-
„simos animæ motus perscrute-
„tur, atque dijudicet ? Favent
ver-

„verba Dei ad Abrahamum Ge-
nes. cap. 17. Ambula coram me,
& esto perfectus. Quasi dicat:
quia me vidente te geres, eris
perfectus, quia perfectè, atque
accuratè ambulabis. Non solum
acuit diligentiam, sed robur in-
super addit, ut Dei, & animarum
negotiū urgeamus alacrius. Qui
miles sub oculis Imperatoris au-
dacijs periculum non audeat, vi-
resque suas non exerceat? Nec
quidem erit tibi difficile hanc
memoriam continuò fovere, quia
in ijs ministerijs versaris, quæ
vel colloquiū cum ipso Deo, vel
ipsius cultum, & honorem pro-
ximè attingunt: Sicut famulari
intimo alicujus Principis, qui ab
illius latere nunquā, vel raro di-
scedit, etiam dormienti, Princi-
pis imago occurrit, & ipsius vox

aures ejus pulsare videtur. Angelorum officium emularis interris, illorum quoque quantum humana fert fragilitas, partes imitari, qui quamvis nobiscum commoretur, nosque regant; semper tamen vident faciem Patris, qui est in cœlis; ita & tu in omni actu, vel cogitatuo Deum tibi adesse præsentem memorare, & omne tēpus, quo tu ipsum nō cogitas te perdidisse cogita & computa, monet D. Bernardus *in Spec. mon.*

Et Thomas à Kempis *de imit.*
Christi Lib. 3. cap. 9. n. 1. Fili,
 „ego debo esse finis tuus ultimus, & supremus, si verè desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad te ipsum, & ad creaturas male incurvatus. Nā

„si te ipsum in aliquo queris,
 „statim in te deficis, & arescis.
 „Igitur hic finis semper ante o-
 culos habendus est. *Vide alia in
 Curatore animarum P. 2. cap. 3.
 pag. mibi 82.*

REGULA X.

*Finito Missæ Sacrificio, Clero
 Seculari, studium Sacrae Scriptu-
 ræ, Casuum Conscientiæ, & conci-
 onum ad prandium usque maxime
 commendatur.*

THomas à Kempis differens de
 indocto Clero, & sine libris,
 hæc habet. *Lib. de Doct. juvent.*
 „cap. 7. Vx Clerico indocto, &
 „sine libris, qui sibi, & alijs sa-
 „pè est causa erroris; Nam Cle-
 „ricus sine libris, est quāsi miles
 „sine armis, navis sine remis, avis
 „sine alis, & ascensor sine scalis,
 „cœcus sine ductore. Et Oseas
 Pro-

„Propheta cap. 4. v. 6. Quia tu
 „scientiam repulisti, repellam te
 „& ego, ne sacerdotio fungaris
 „mihi. Nusquam in alijs artibus
 eligitur ignarus illius artis, aut
 muneris, quod professurus est:
 futor non curat ægrotū, sed me-
 dicus, nec medicus lites agit, &
 causas dijudicat, sed juris peritus;
 atqui gradus Sacerdotij, gradus
 Magisterij est. Labia Sacerdotis
 custodiunt scientiam, & legem
 requirant ex ore ejus, quia An-
 gelus Domini exercituum est. Ma-
 lach. c. 7. v. 2. Hac scientiâ, si
 careat Sacerdos, dignus est, qui
 non fungatur Sacerdotio.

Igitur ita diurnas, ac noctur-
 nas horas ordinabis, ut quot die
 aliquot ex illis in hoc tam nece-
 sario exercitio impendas. Et qui-
 dem de studio Sacra Scriptura,
 cum

cum Sacerdoti, & Canonicō (nā
de Curatore animarū postea)
quid jucundius, & suavius, quam
absoluto Choro, seu etiam post
privatum officium, colligere se
ipsū & colloqui modō cum ipso
Christo, modō cum Apostolis,
modō cum Prophetis, &, adin-
star apium, ex illorū libris, quasi
favum mellis carpere. Nonnē
hoc est, perpetuō esse in laudibus
Dei? Hoc est dialogari cum ipso
Deo: nam cum oras, tum loque-
ris cum Christo, cum vero Sacra
Scripturam legis, ipse tibi loqui-
tur. Sic Hieronymus Eustochiū
instruens.

Multa commoda spirititualia
hæc sacra lectio tibi subministra-
bit. Ama scientiam Scripturarū,
& vitia carnis non amabis. Epist.
103. Sic Hieronymus ad Nepoti-
anum,

anum. Nutrit & fovet bonas cogitationes; quas vel orando, vel psallendo concepisti, virtutem tribuit, ut eas perficias, contrarium omnino facit lectio librorum inutilium, ut optimè observavit D. Bonaventura *Reform.* *Nov.* cap. 14. Vana lectio vanas generat cogitationes, & extinguit mentis devotionem. Convertet te in meliorem vitam, addetque calcaria in via Domini ad velocius currendum, ut de se ipso S. Fulgentius testatur, qui legens D. Augustinum in expositione Psalmi trigesimi sexti ad religiosum statum amplectendum commotus est; Inflammat affectum & incendit ad Dei amorem. D. Bernardus lectionem Sacrae Scripturæ, comparat Matri, lactanti infan-tem.

Verum hic quoque aliquis ordo servandus est: Certæ lectioni insiste, quod non tantum de lectione Sacræ Scripturæ valet, sed de lectione etiam Sanctorum Patrum, aliorumque piorum librorum; siquidem, ut monuit D. Bernardus *Lib. de vitæ solit.* Lectione incerta & erratica spiritum magis dissipat, quam ædificat. Quod exēplo medicinæ probat. Scito, inquit, quia remedia crebro mutata nocent, naturā disturbant, & ægrum exterminant. Quod & clarum est ex aphorismis medicorum: Remedia non prosunt, nisi immorentur. Deinde ait Thomas à Kempis *Lib. I. de imit. Chr. cap. 5. n. 1.* Omnis Scriptura Sacra eo Spiritu legi debet, quo scripta est, quæxare potius debemus utilitatem

in Scripturis, quām subtilitatem sermonis.

Si verò curam animarum administras, præter has utilitates, quæ tibi etiam sunt communes, illuminaberis, quomodo te ipsum & alios in viam Salutis dirigas. Optimam farinam tibi subministrabit, ex qua panem prædicationis conficias, quem in spiritualem cibum animabus tibi commissis postea dispenses, ne de te conquerantur illis Ieremiæ verbis. Filij petierunt panem, & non erat, qui frangeret illis, *Thren. cap. 4. v. 4.* Sed quem panem? panē utique salutis, non panem vanitatis, non nugas, non oblectamenta verborum, non gētilium fabulas, non somnia, non commenta Poétarum.

Vx Prophetis insipientibus,
qui

qui sequuntur Spiritum suum,
 & nihil vident, vident vanâ &
 divinant mendacium. *Ezechiel.*

cap. 13. v. 3. Insipientes appelle-
 lat: nam ignorantia divinæ le-
 gis, mater est erroris, & janua
 mortis, privatio honoris, virtu-
 tis, & salutis, inquit Thomas à
 Kempis *Lib de Doctrina Iuvent.*

c. i. Sequuntur Spiritum suum,
 quia Sacram Scripturam & San-
 ctorum Patrum libros raro aut
 nunquam habent præ manibus,
 non hauriunt aquam de fontibus,
 sed à cisternis, quidquid illis in
 buccam venit, enuntiant; pro-
 pterea vident vana & divinant
 mendacium. Ex studio Sacrae
 Scripturæ etiam robur accipies,
 ad preferendos labores, & ad su-
 peradas difficultates, quæ in mi-
 nisterio Curæ animarum passim

occurrunt. Siquidem vita pasto-
ris exemplo Christi & Apostolo-
rum inter hos duos Cardines ver-
satur: Bene facere, & mala pati.

Sed audi quid in hanc senten-
tiam fatetur de seipso Thomas à
Kempis *Lib. 4. de imit. Chr. c.
ii. n. 4.* Duo mihi necessaria per
maximè sentio in hac vita, sine
quibus mihi importabilis foret
ista miserabilis vita. In carce-
re hujus corporis detentus duo-
bus me egere fateor, cibo scili-
cet & lumine. Dedisti itaque
mihi infirmo sacrum corpus tu-
um ad refectionem mentis & cor-
poris: & posuisti lucernam pedi-
bus meis, verbum tuum, sine his
duobus bene vivere non possum,
nam verbum Dei lux animæ meæ,
& Sacramentum tuum panis est
vitæ.

Sed

Sed de studio Casuum conscientiæ agatur, quid magis necessarium in Spirituali medico animarum? modo aliquis sensus amoris tum suæ tum alienæ salutis in illo insit. In hac arte non sufficit studuisse, sed assiduo ac perenni studio ac diligentia opus est, quotidie namque novi even-
tus occurunt, nova morborum genera, quæ novis egent reme-
dijs, quod si denuò ad libros & ad consilium peritorum non re-
curras, facile est errare, error au-
tem, quem studio & cōsilio præ-
cavere potuisses, & debuisses, si in animarum perniciem vergit, &
in tuum caput redundat. Si cœ-
cus cœco ducatum præbeat, nō
ne ambo in foveam cadunt? *Lu-*
cæ cap. 6. v. 38. Bonus medicus
nec uno remedio omnes curat æ-

gritudines, nec curat in transitu.
Vide alia in Curatore animarum
p. 3. c. 9. pag. mihi 163. p. 4. c.
II. pag. mihi 255.

R E G U L A XI.

*De omnibus matutinis actionibus fiat ante prandium discussio
Conscientiae.*

NE quæso tibi molestus videar,
 cùm ad discutiendam conscientiam etiam ante meridianam
 refectionem te hortor, insignis enim illa conscientiæ puritas, quæ
 gradus Sacerdotalis & etiam pastoralis à te requirit, diligentiam
 hanc non uti superfluam, sed maximè necessariam optimo jure po-
 stulat: Solaribus radijs puriore anima Sacerdotis esse debere, D.
Chrysostomus asseruit, sed quid clarius, quid nitidius sole? cui
 nihil sordis adhærescere potest.

Do-

Dorotheus lect. 26. discipu-
 los suos de hac ipsa re instruens,
 duas causas reddit hujus tam sa-
 lutaris documenti : Cùm sæpe-
 numerò, ac plurimùm peccamus,
 & quām facilè obliscamur, opus
 esset frequentissimè, ac singulis
 horis nos ipsos exquirere, rima-
 ri, ac perscrutari diligenter. Du-
 as annexit causas hujus examinis,
 peccandi scilicet facilitatem, ac
 proclivitatem : & oblivionē pec-
 catorum : utrique malo occurrit
 optimè, frequens discussio con-
 scientiæ sed accurata, ac dili-
 gens.

Rectè D. Bonaventura eos, qui
 animas curant, parti superiori,
 seu fornicibus templi comparat,
 qui, dum pavimentum ipsius tē-
 pli mundatur, pulvere aspergun-
 tur ; Sic nō rarò evenit, ut, dum

aliorum pulverem per Sacramen-
ta, per consilia, per verbi divi-
ni prædicationem abstergere cõ-
tendimus, ob humanam fragili-
tatem, aut etiam in advertentiâ,
aliquid pulveris contrahamus, ad
quem excutiendum, si vesperti-
num tempus expectes, tenaciùs,
ac firmius adhærescet, nec adeo
facilè mundaberis.

Adde, sacra ministeria, quæ ma-
nè peraguntur, hanc discussionē
requirunt. Oratio mentalis, di-
vini officij recitatio, Sacramento-
rū administratio, Missæ celebra-
tio, quæ omnium functionum
præstantissima est: Hæc omnia
veniunt sub censuram matutinæ
discussionis. *Genes. cap. 1. v. 3.*
Dixit Deus, fiat lux, & facta est
lux, & vidit Deus lucem, quod
esset bona, & divisit lucem à te-
ne-

nebris. Hæc omnia sacra ministeria luce ipsâ meridianâ clariora sunt, vide, an aliquid caliginis ex tua ignavia, & irreverètia illis accesserit; an non ex charitate, sed potius ex cupiditate lucri temporalis, aut distraetè, & indevotè, an indecorè, & irreverenter illa tractaveris; divide lucem à tenebris, errata tua cognosce, & corrige.

Si quis fructus extitit ex istis spiritualibus functionibus per hanc conscientiæ discussionem magis stabilitur in anima, fovet bonas & pias cogitationes, lumē, & gratiam acquirit ad cæteras diurnas actiones melius dirigendas. Non ergo te pīgeat, saltem per horæ quadrantem colligere te ipsum, & qualiter tempus illud efflūxerit, diligenter à te i-

pso perquirere, ut si quos defec-
tus deprehenderis, per poenitē-
tiam delere, & in postuum præ-
cavere possis. Nihil ducito, vel
nimis laboriosum, vel supervaca-
neum, quod te ad tuum munus,
ritè obeundum, vel ad divinam
gratiam augendam, vel ad cœle-
stem gloriam promerendam ju-
vat. Non parcas tibi ipſi in de-
fectibus corrigendis, sed argue.
Tu reus es, esto & judex, errata
tua sapiens cogita & emenda,

R E G U L A XII.

*Prandium sit frugale, non vo-
luptuosum, nec in cibo, & potu
superfluum, eique adhibeatur le-
tio libri spiritualis.*

NE solus comedas, solitudo in
prandio, & in cœna, vel mœ-
rorem quendam animi parit, vel
te nimis voracem, aut celestè in
eden-

edendo facit; utrumque valetudini non parum obest. En tres commensales tibi propono, & venient semper invitati libenter; sua quisque symbola afferet, & quidem satis opipara, ac pretiosa, illa sanè degustabis, si illos commensales habueris.

Primus commensalis sit lectio, vel Sacrae Scripturæ, vel p[ro]ij, & spiritualis alterius libri, qui te ad profectum spirituale excitet, & inflammet. Facile tibi est habere hunc commensale, prætertim si animarum curam geris; semper enim in promptu est puer aliquis, clericus, vel laicus, qui inservit Ecclesiæ, vel etiam causa educationis domi alitur, hic præsto erit huic muneri, & quidem cum magna sua utilitate; nam dum tibi lectione ministrat,

in legendo sit eruditior, & si ea,
quæ legit, intelligit, dum ipsi
tibi has spirituales dapes appo-
nit, profecto nec ipse jejonus re-
cedit. Et quidem, si Sacerdos in
habitu, in morum gravitate, &
in multis alijs, debet laicis homi-
nibus præstare & excellere, cur
non etiam in mensa, ob temperā-
tiam, frugalitatem, & hoc pretio-
sum condimentū lectionis. Pla-
nè morem hunc adeo laudabile,
quam plures Sacerdotes in priva-
tis ædibus servaverunt, & seruat
cum ingenti jucunditate & utili-
tate simul.

Utraque inest in lectione in
mensa. Nonnè magna mentis vo-
luptas est, multa tunc audire, &
intelligere, quæ nesciebas antea,
& hoc sine tuo labore, & studio?
Omnis homo à natura scire desi-
de-

derat, & dulcior, suaviusque est
pabulum mentis, quam corpo-
ris.

Utilitas autem ingens est, &
multiplex. Lectio hæc avocat
animum ab affectata, & acurata
consideratione ciborum, & à pa-
tinis, mentem erigit ad nobilio-
ra. Temperat gula voluptatem,
quæ nobis cum belluis sit com-
munis. Animum reficit preciosissi-
oribus nutrimentis, quam sint e-
dulia. Vires spiritus languentes
restaurat, atque hoc modo totus
reficeris; nam utraque pars suo
reficitur pane, corpus quidē ci-
bo, & anima lectione. Et si s̄ la
caro reficitur, anima autem Dei
verbo non pascitur, tunc ancilla
satiatur, & Domina fame to que-
tur, quod non tantum iniquum
est, sed etiam injustum.

Quam-

Quamobrem cùm accedis ad mē-
sam, idē afferat anima tua, quod
& corpus; hoc fert famem, cupi-
ditatem, & desiderium suæ refe-
ctionis, sic & anima panem spiri-
tualem lectionis, corpus esurit
cibum, anima esuriat verbū Dei.
Aderit tunc divina gratia, quæ
nos nostro non fraudabit deside-
rio.

Etsi non adsit qui legat, tu
ipse inter comedendum lectoris
officio fungito. Peccata à te cō-
missa recogita, ut hac recordati-
one edulia tua condias exemplo
David: Cinerē sicut panem mā-
ducabam, & potum meum cum
fletu miscebam. *Psal. 101. v. 10.*
Quot Sacerdotes sunt, qui in suo
munere diligētiores te sunt, qui-
que de Ecclesia plus, quam tu,
sunt benē meriti, quibus tamen

vix

vix tenuis victus, ac vestitus sup-
peditatur. Cōsidera esse ex ele-
mosyna, & patrimonio pauperū,
ex quo comedis, & ea lege tibi
concessa, ut debitam operam Ec-
clesiaz impendas, non gratis ali-
menta operarijs tribuuntur, non
ut otientur, sed ut laborent, noli
ergo in cibis delicias quærere.
Cum accedis ad mensam, in uit
S. Vincentius *de vitæ spic.* c. 3.
Cogita apud te pavido corde,
quod debcas peccata populi co-
medere. Et Thomas à Kempis
Lib. 2. de discip. Clau. cap. 6.
Modestè, & cum timore comedē-
dum est quia eleemosynæ fideliū
sunt, & labores egenorum. Non
deerunt alia, quæ cogites, quæ
erunt tibi lection s loco.

Secundus Commensalis sit, tem-
perantia tam in cibo, quam in po-
tu,

tu, hæc semper invitata tunc mē-
sx asideat; quam si excludas,
multis in corpus, & in animam
aditum statim aperies. Unde æ-
gritudines, capitis, ac stomachi
lassitudines, podagra, innumeri
morbi, atque infirmitates, ut
plurimum? nisi ex nimietate ac
varietate eduliorum, vini & cō-
dimentorum. Sapienter D. Am-
brosius *Lib. I. cap. 5.* de Cain &
Abel. Plurimos gula occidit,
nullum frugalitas: innumeris vi-
na nocuerunt, nuliis parsimonia.
Quod si valetudo corporis omni-
bus chara & necessaria est, tum
maxime Sacerdotibus, Canoni-
cis, & Curatoribus animarū, qui
ex proprio instituto inservire
debent Ecclesiæ, & animabus si-
bi commissis, quique ministe-
ria tractant laboriosa quæque,

cor-

corpus sanum & firmum requi-
runt.

Quid de damnis animæ ex in-
temperantia? Breviter S. Isido-
rus de Summo bono *Lib. 2. cap.*
42. Sicut omnes carnales cupi-
ditates per abstinentiam resecan-
tur; ita omnes animæ virtutes,
edacitatis vitio destruuntur. In
temperantia ligna, & sarmenta o-
mnium vitiorum subministrat.
Unde D. Hieronymus *Lib. 2. in*
Iovianum: Quòd si quis existi-
met, & abundantia ciborum, po-
tioneerumque se perfri, & vacare
posse sapientiæ, hoc est, versari
in delicijs, & deliciarū vitijs non
teneri, se ipsum decipit.

Accedit. quod conceditur qui-
dem tibi ex Ecclesiasticis reddi-
tibus corporis alimentum, sed
non tot gulæ lenocinia & irrita-
men-

menca. Quidquid ergo præter necessarium victum & vestitum in gulæ concupiscentijs insumitur, totum Ecclesiæ & pauperibus detrahi, & surripi, ex Patrū sententia demonstratur in Curat. animarum p. 3. cap. 5. pag. mibi
I38.

Tertius Commensalis sit ipse Christus: Sanè rusticus, & ingratissimus ille esset, qui ab amico domi sux invitatus ad prandium, dominum prandij arceret longius à mensa; sed undenam cibi, & alimenta, qui tibi apponuntur quotidiè, nonnè ex Christi promptuario? habeto ergo illum commensalē in primo loco. Quod duobus modis præsertim præstare poteris. Uno modo per memoriam, & per recordationē divinæ illius præsentia. Siquidē

ex

ex sententia D. Clementis apud Damascenum *Lib. 2. Paral. cap. 5.* Mensa, in qua nulla Dei memoria habetur, à brutorum stabulo non differt, & Thomas à Kempis monet: Antimarum fel Christi, & acetum in cruce potatum, poculis in mensa intermiseri debere, ne apetitus gulæ alliciat nimis.

Altero modo, si aliquam partem cibi, vel poūs sponte tibi surripias, quam offeras ipsi Christo, vel ipsius amore pauperibus. Solent enim hujusmodi mortificationes parvæ inter edendum spontè suscepτæ esse Deo gratissimæ. Testatur hoc S. Vincentius *Tract. de vita sp̄ec. cap. 8.* Nota „quod mos Deo gratus est, ali „quid de potagio Christo pau „peri semper in scutella dimitte

re.

„re. Post pauca: Si est tibi ci-
 „bus insipidus ex defectu salis,
 „vel aliâ quacunque causâ, noli
 „apponere sal, nec aliud condi-
 „mentum propter Christû, felle,
 „& aceto potatum, sed sensua-
 „litati resiste. Similiter quæcun-
 „que falsamenta, quæ ad nihilū
 „valent, nisi ad gulæ excitamen-
 „tum, dimittere occultè potes.
 „Quandocunque aliquis bolus
 „gratus tibi circa finem apponi-
 „tur, istum dimitte propter De-
 „um. Hucusq; D. Vincentius.

REGULA XIII.

Ad concoctionem ciborum post
 refectionem, corporis, requiritur
 recreatio, & honesta conversatio.
Vulgatum est dictum S. Ambro-
 sij. Lib. 3. de Virg. Quod vis
 prolixè facere, aliquando ne fe-
 ceris. Vita humana diu sine re-
 quie

quie aliqua, & intermissione sta-
re non potest. Tempus, quod
sumptionem cibi sequitur ad fe-
rias occupationes non est ita ac-
cōmodatum, eo enim tempore fit
cibi concoctio in stomacho, si in
aliqua re seria occuparis, spiritus
vigor, & calor, qui concoctionē
alimenti, vel faciunt, vel adju-
vant, ad caput asciti, stomachum
deserunt, cibus non cōcoquitur,
aut malē coquitur, inde crudita-
tes nascuntur, omnium morborū
causæ. Præterea sub initium cō-
coctionis stomachus plus solito
fumat, & ad caput vapor multus
ascendit, qui quasdam veluti ne-
bulas menti offundit, sicque li-
beram illius operationem non pa-
rum incommodat ; quare aliqua
animi relaxatio danda est. Ve-
rum hoc facile concedes ?

Sed

Sed qualis esse debet hæc re-
creatio, animæ vero sit pernicio-
sa fatigatio, modum tibi præ-
scribam.

Fugè, quantum potes, laico-
rum conversationem, & ne tibi
videar, vel nimis durus, aut in-
civilis, assigno rationem. Etenim
cibo, & potu inflamatur aliquan-
tulum affectus, exinde lingua so-
let esse liberior, facile secreta
cordis panduntur; erumpunt e-
tiam foras affectus non bene cō-
positi, & quamvis tunc sœcula-
res arridere tibi, & applaudere
videantur, post tergum tamen te
contemnunt, & irrident, & sœpi-
us animo revolventes, quæ dicis,
aut facias, te nihil, aut parvum à
se ipsis dissimilem judicant. Tā-
dem etsi pij, & probi tibi viden-
tur, sœculares sunt, alterius sci-

licet professionis, quique (ut o-
ptimè animadvertisit Turrecrema-
ta Cardinalis *in cap. 51. Reg. Be-*
ne. Sæpè, & faciliter scanda-
lizantur de multis etiam in Reli-
giosis, et si non sint de genere
malorum. Quandoque illud eve-
nit, quod annotavit Thomas à
„Kempis: ut persona ignota ex
„bona fama lucescat, cuius tamē
„præsentia oculos intuentiū offu-
„scat. Putamus aliquando alijs
„placere ex conjunctione nostra,
„& incipimus magis displicere
„ex morum improbitate in nobis
„considerata. *De imit. Christi l.*
1. c. 8.

Declinanda est etiam scurrili-
tas, hoc est, excessus quidam in
verbis, vel factis sine decore lo-
ci, temporis, & personarū. Ne-
quit esse ista scurrilitas sine ver-
bis,

bis, & factis vanis, & nonnunquam parum honestis, quæ gravitati Sacerdoti minimè conveniunt. Nugæ in ore laicorū, nugæ sunt, in ore Sacerdotis, sacrilegia sunt; consecrauti enim ostuum Evangelio, inquit D. Bernardus. Michol nec enim habebat Spiritum Dei, saltationē Davidis ante arcam irrisit, ac damnavit, tanquam decōri, ac dignitati Regiæ repugnantem.

Ludus etiam alearum, & foliorum exulare debet à recreatione Ecclesiasticorum; extant multæ leges Pontificiæ, & synodales interdicentes hos ludos Clericis, & ut multa sileam, nihil, aut parum conferunt hujusmodi ludi, & animi relaxations. Fiunt secundo, nullam habent corporis exercitationem adjunctam; non est

est parva mentis applicatio, la-
bor capit is non exiguus, & pec-
cata non pauca. Audi de hac re
D. Basiliu m *Homil. 8. in Evāg.*
Juramenta sunt illic, id est in lu-
dis, contentionesque per graves,
ac avaritiae partus. Spiritus mali-
gnus assistit, easque ille pecuni-
as nunc ad hunc, nunc ad alterū
transfert, atque modò hunc vi-
ctoriā effert, illum victum mœsti-
tiā premit; modò contra, illum
elatum, hunc demissum ostendit.
Tobias senior sic de se loquitur
cap. 3. v. 17. Nunquam cum lu-
dentibus miscui me, neque cum
his, qui in levitate ambulant, par-
ticipem me præbui.

Ut verò recreatio sit honesta,
simulque jucunda; fiat inter Ec-
clesiasticos ipsos; sicut enim si-
nitudo officiorum, quemadmo-

dum ætatis, amorem conciliat; ita conversatio inter ipsos parit jucunditatem. Fiat per mutua colloquia spiritualia, quo enim modo potest esse vera recreatio, ut vim habeat animam exhilarandi, nisi collocutio sit de rebus spiritualibus, vel ad illas spectantibus? Tractatio rerum spiritualium dulcis, & jucunda est ex natura sua, sed dulcissima palato benè disposito, cuiusmodi debet esse palatum Sacerdotis; & qui hanc dulcedinem non sentiunt, humore aliquo vitiioso palatum infectum habent qui gústum depravat. Qui verò de mundi rebus, ac voluptatibus libenter loquuntur, & tali collocutione delectantur, se mundi affectum in corde fixum tenere facile declarant. Ex abundantia cordis os

Ioquitur. *Matth. cap. 12. v. 34.*

Ludus aliquis honestus, & religiosus suadetur ex illis, qui partim ab industria, partim etiam à fortuna dependent, qui, si moderatè exerceantur, habent secū adjunctam jucunditatem, & hilaritatem. Cūrabis denique, ne quid in recreatione facias, aut loquaris, quod conscientiam tuam aggravare possit; ubi enim culpa, vel minima intervenit, ibi, etsi corporis recreatio adsit, spiritus desolatio, afflictio, & tristitia invenitur: atque ideo vera recreatio esse non potest.

Bona cōscientia parit gaudiū, mala cōscientia generat sibi tormentum. Studeas semper bene agere, & eris in bona pace. Ita Thomas Kempensis *Hortul. Ros.* c. 8. De conversatione laicorum

fugienda, alia vide in Curatore
Animarum P. 3. c. 7. pag. mibi
151. De Temperantia in victu a-
lia vide in Curator. Animar. P.

3. c. 5. pag. 138.

REGULA XIV.

*Dæmon meridianus maximè
infestus vincendus est ingressu Ec-
clesiae, adoratione Eucharistiae, re-
citatione Officij B. V. M. vene-
ratione SS. Patronorum, in or-
nandis altaribus, vel alio honesto
manuali opere.*

ET si verum est, dæmonē omni
quidem tempore, imò singulis
ferè horis, ac momentis insidias
parare, ut nos perdat ; tamen in
confesso est apud magistros vitæ
spiritualis, sicut & quotidiano
experimento edocemur, horis
meridianis esse nobis magis infe-
stum, maximè quando dies lon-
gio-

giores sunt: quam etiam ob causam putavit Joannes Cassianus in Psalm. 90. Dœmonem meridianū appellatum fuisse; cum enim hoc tempus non sit aptum contemplationi, nec serijs quibusdam actionibus, & corpus ipsum ob præcedentem refectionē, recreationem, & etiam quietem per somnum sit roboratum, hac opportunitate callidissimus hostis utitur ad sua jacula in nos collimanda.

Tœdium quoddam, seu accidiam gignit in nobis, ad quam tollendam, nos urget ad quærendam aliquam conversationem laicorum, vel ad egressionē è proprijs ædibus ad evagationem per vias & plateas, vel per alienas domos, ad sæculi rumores indagandos, ad fabellarum ridicula-

rum narrationes & detractiones,
quandoque etiā ad murmuratio-
nes, ad contentiones, atque ad
alia hujusmodi quærenda tanquā
tœdij, mœrorisque medicinam;
ex quibus postea nausea quædam,
& fastidium rerum spiritualium
oritur, mensque ipsa minus apta
redditur, & collecta spirituali-
bus exercitijs. Repellendus o-
mnino tibi est hic Dœmon me-
ridianus, atque hoc tœdium ex-
cutiendum, quam sanè victoriam
haud dubio reportabis, si hæc
pauca servaveris.

Considera etiam hoc tempus
esse pretiosissimum, & tuæ saluti
destinatum, ne ergo prætereat o-
tiosum, nulla temporis particu-
la haberi debet pro derelicta &
neglecta, quia & de illa Deo ra-
tio reddenda est. Præclarum est

nos

151

nos in hac opinione versari, ut
non modo sermonis & actionis,
sed totius etiam temporis ratio-
nē à nobis reposci existimemus.
Sic te monet D. Gregorius Na-
zianzenus *orat.* *in cap. 5.* Te igitur
Dœmon hoc meridiano tem-
pore in re aliqua bona inveniat
occupatum.

Cur Ecclesiam tunc temporis
non ingrederis, ut ibi Dominum
& Salyatorem tuum sub specie-
bus Sacramētalibus latentem de-
votè visites, reverenter adores, &
genibus flexis humiliter paululum
cum eo affatim colloquaris? Af-
sistit enim ibi, etsi corporeis o-
culis invisibilis, ad tuum tamen
regimen atque solamen.

Sacerdos es, atque Ecclesię
Minister, Angelorum ministeriū
æmularis in terris. De Angelis

*Danielis cap. 7. v. 10. habemus:
 Millia millium ministrabant ei,
 & decies centies centena millia
 assistebant ei. Immisce ergo te
 cum illis, & coram Domino Deo
 tuo assiste pariter & de eorum so-
 cietate latere.*

Debitum gratitudinis hoc à te
 requirit, ut præter Missæ cele-
 brationem quotidie aliquam ho-
 ram tibi stutuas, quâ ad salutan-
 dum & adorandum Dominum in
 Eucharistiæ Sacramento præsen-
 tem, & quasi ad audientiam oc-
 curras: dignitas, qua à Deo insi-
 gniris, imò & quotidiana emolu-
 menta, quibus sustentaris, nonnè
 à ministerio hujus Sanctissimi Sa-
 cramenti præcipue dependent?

Hæc hora meridiana hisce ex-
 ercițijs Spiritualibus satis com-
 moda est. Etenim, cùm Eccle-
 sia

sia tunc à fidelibus non frequen-
tetur, non est, qui impedit orationem tuam, quin plores, quin
pios tuos affectus foras aperies,
causamque animæ tuæ & tui gre-
gis, cum fiducia cum Deo tuo
illic stante, teq; audiente tristes.
Deus autem misericors & pius,
qui se honorantes exaltat, & ad
se accurrentes hilariter excipit,
orationem tuam redire vacuam
ad te, non patietur.

Quis prohibet etiam, cur non
aliquam partem hujus temporis,
insumas in cultu ac veneratione
Beatiissimæ Virginis? si adoras &
visitas Christum Dominum in Sa-
cramento manentem, cur omni
devotionis affectu non etiam vi-
sitas & colis ipsius Genitricem,
ex qua sumpfit corpus & sanguinem,
quem tu adoratione latriæ

veneraris & quotidie in Missæ
Sacrificio tractas & sumis. Me-
ritò post honorem & cultum in
Christū Dominū, Beatissimæ Vir-
ginis cultus ac veneratio præci-
puū suum locū vendicat in cor-
de Sacerdotis, cùm & ipse offi-
cio Matris Domini fungatur in
terris, & ipsa Dei-Para Virgo sit
peculiari quadam ratione Domi-
na, ac optima Parens Sacerdotū;
cùm enim sol in omnes natura-
les effectus influat, eò tamen u-
berius influit, quò hi effectus ma-
iores sunt; sic MARIAE lumen &
auxiliū in omnes quidem status
Ecclesiæ derivatur, verum in eos
præcipue & maximè, qui gradu
gratiæ & sanctitatis inter alios
excellunt. Si ergo hujus Sanctis-
simæ Virginis amore teneris, si
erga illam aliquo gratitudinis tā-
ge-

geris affectu, illam quotidie ve-
nerare, vel per officij in illius ho-
norem instituti, vel Rosarij, vel
aliarū precū recitationem, magna
cordis latitudine ad illam tan-
quam ad Matrem confuge. Que-
madmodū continua respiratio
non solum est signū vitæ, sed e-
tiam causa: sic Sanctissimæ MA-
RIÆ nomen, quod in DEI ser-
vorū ore assidue versatur, argu-
mentū est, quòd verā vitā vivāt,
& simul etiam hanc eandem vitā
effecit, & cōservat, omnemq; eis
lætitiam & opem ad omnia im-
pertitur. Sic Germanus Patriar-
cha Constantinopolitanus verus,
ac gravis Auctor *Serm. i. de
paet.*

Cur non etiam aliquid hono-
ris impendas Sanctis Tutelaribus
ac Patronis tuæ Ecclesiæ? cuius

proventibus gaudes, & sustentaris: Qui sicut peculiari patrocinio suarum Ecclesiarū Rectores sovent, & protegunt: Sic ut de illorum tutelā dignū efficias, illorum memoriam per preces, ac vitæ imitationem quotidie colere par est.

Optimè Thomas à Kempis *de discip.* Clav. c. 25. Stude cum Sæctis ac amicis Dei tempore incolatus tui facere amicitiam, & ad eos specialem habere familiaritatem, & hominū notitiam, & allocutiones inutiles declinare. Melior est tibi Sancti unius oratio, quam omnium Sæculariū amicorum visitatio. *Vide alia in Curatore Anim.* P. 3. cap. 8. pag. mibi 158. Verūm, ne te diutius in recitandis precibus detineam: cum hoc tempore meridiano ob
po-

populi absentiam ab Ecclesia liber, & commodus locus tibi relinquatur cuncta in ea lustrandi. Altaria circūspice, an æditui diligentiā bene sint omnia compo- sita, an parietes mundi, an sacra suppellex ritè asservata, an mun- da sint omnia. Et si quid inde- center, & indecorè compositum inveneris, ipse etiā proprijs manibus corrige; sunt enim tēpla ipsa, altariumq; cultus, & orna- tus sub cura Sacerdotis; neque hoc mysterij genus dedecet Sa- cerdotem, imò illi optimè con- venire afferuit D. Ambrosius.

Lib. 2. de Off. cap. 21. Maximè Sacerdotes convenit ornare Dei templum decore cōgruo, ut hoc etiam cultu aula Dei resplendeat. In hisce exercitijs, si hoc tem- pus consumas, profectò non ti- me-

mebis à Dœmonio meridiano,
nec à sagitta volante per diem.

REGULA XV.

*Singulare charitatis opus est,
visitare infirmos, quod non puge-
at curatorem Clericum hilari ani-
mo subire, ex eo enim in delectio-
ne firmabitur.*

Non est, quo te ab hoc charita-
tis officio exemptum putas,
quia nimirū simplex Sacerdos es,
& animarū cura tibi non incum-
bit, partem aliquam diei, ubi tu-
lerit occasio, & operam tuam ne-
cessariam, aut utilem existima-
veris in visitandis, & sublevan-
dis infirmis, impendere debes.
Urget te Ecclesiastici præceptū.
Eccles. cap. 7. v. 39. Non te pi-
geat visitare infirmū, ex his enim
in dilectione firmaberis. Cum e-
tim sit hoc opus charitatis, hoc
sanè

sane fiet, ut charitas, quæ crescit ex suis met operibus, crescat in te & firmior reddatur, sicut habitus crescis ex frequentatis actibus; & crescat etiam in alio, cum nihil sit, quod ita amorē conciliet, sicut amor, unde dictū est: Si vis amari, ama. Accedit remissio peccatorū venialiū, quæ auctore S. Cæfareo Arelatensi acquiritur visitatione infirmorum. Christū imitaberis, qui sociū Simonis febricitantem invisit, atq; ad alios ægrotos accessit.

Multa edisces saluti tux utilia, scilicet, quam à tenui filo vita hominis pendeat, quam fragilis, quam caducā, quam brevis, quam multis, ac varijs casibus, ac periculis sit exposita, quam fallax, & inconstans mundi prosperitas. Edoceberis etiam alieno exemplo, quænam sint præcipue, quæ

ægrotantem tunc temporis gra-
vius vexare soleant, qui pavores
illum exagitent, quam terribilis
sit hora nostræ resolutionis, ut
mature te ipsum munias in vir-
tutu præfidijs, quæ te in illa tam
ancipiti pugna adjuvare possint;
Nam & Tu Sacerdos homo mor-
talis es, & fragilis, innumeris &
tu obnoxius infirmitatibus &
tandem mortis imperio subjectus.
Addit Thomas à Kēpis: Ne de-
spicias infirmū, nullus scit, quid
adhuc de te fiet. Omnes fragiles
sumus, & omnes adjuvari inde-
gemus.

Verum, si Pastoris officio fun-
garis, quis nescit infirmorū cu-
ram esse inter prima, & præci-
pua veri Pastoris munera, in quo
quidem, si operam tuam deside-
rare permittas, non Pastoris, sed
mercenarij partes tueris. V& Pa-

storibus, qui, quod infirmū fuit;
 non consolidāstis, & quod ægro-
 tum, non sanāstis. Ezech. c. 34.
 v. 2. 4. In cura ægrotantiū, præ-
 fertim pauperū, & egenorū, qua-
 lis sit charitas pastoralis facilè se
 manifestat. Nec æquidem scio,
 quomodo Sacerdos ille somnum
 quietè capere possit, qui sciens
 aliquem ex curæ suæ commissis
 infirmari, tamen cùm potuit, nō
 invisit; Verè iste animas non a-
 mat, si enim amaret, de quovis,
 et si in minimo periculo metue-
 ret, & se magis de illorū spiri-
 tuali salute sollicitū præberet,
 nec in re tanti momenti tam fa-
 cilè aliorum operæ fideret; Non
 Giezi opera, sed Elisæi Prophe-
 tæ præsentia filio viduæ vitam
 reddidit. Oculi, ac præsentia
 Pastoris omniū suarū solamen, ac
 præ-

sidiū sunt. Si quotidie ad infirmos accedis, morbi incrementa observas, sicq; maturo tempore per Sacramentorū administratiōnem illorū saluti consulis, nam securiū est mortem hujusmodi præsidij prævenire, quam ab ipsa præveniri.

Quod sanè erga pauperes diligentius præstandum est, quibus pauci sunt, qui affstant, & si affstant rari admodum, qui morbi incrementa, & accessiones obseruant, ut mature ad Sacraenta ministranda Sacerdotē accersant. At his omnibus periculis quotidiana & frequens visitatio Pastoris occurrit. Medetur etiam temporali necessitati, illorū egestatē per aliquam eleemosynam ex suo sublevans, & aliunde etiam ex aliorū charitate conquirens, sicut de

de nonnullis probis Curatoribus accepimus, qui utriq; animæ sci-
licet & corpori, Sacramentis &
eleemosynâ suorū infirmorū sub-
veniunt.

Neq; te terreat labor, foetor,
seu etiam periculū contagionis;
quia illius anima, etsi hominis
pauperis & mendici pretiosissima
est, utpote sanguine Ch. isti re-
dempta, & de illa tibi ratio ex-
actissima reddenda est, & tunc de
summa salutis ilius agitur. Esto
etiam quod morbū aliquem con-
trahas, adhibita etiam debita cau-
tione, quam nec Sanctus Carolus,
etsi animarū amantissimus, tem-
pore pestis negligebat, sequatur
etiam mors, quid inde? hoc sum-
mi beneficij loco ponere debes,
ut animam tuam ponas pro ovi-
bus tuis, ministeriū tuū implevi-
sti,

sti, bonū certamen certāsti, cursum consummāsti, fidem servāsti, in reliquo reposita est tibi corona justitiae.

Verūm adverte diligenter, ne in hoc tā præclaro charitatis officio aliqua avaritiæ titillatio animū tuū pulset, nēpe ut condatur testamentū, vel legatū in tui cōmodū, & utilitatē fiat, ut funeralia pinguiora sint, vel quid hujusmodi, quod avaritiā oleat, aut de avaritia suspicionem generet; sic enim ideo ægrotos visitas, non ut illorum animas quæras ut salvæ fiant, sed de illorum facultatibus, & spolijs diteris, jam hoc non facis ex charitate, dishonestas ministeriū tuū. Non est beneficiū, quod in quæstū mittitur, *inquit Seneca Lib. 4. de benef: cap. 14.* Hoc est propriū mercenarij, qui sola cupiditate

mercedis, & lucri gregem cu-
stodit.

Neq; ex hoc egestatem timeas,
quia non tua quærvis, sed animas,
nam hoc est verè ditescere. Audi
quid dicat D. Ambrosius, narratā
cum laude repudiatione munera
oblatorū Abrahæ, à Rege Mel-
chisedech, *Lib. de Abr. c. 3. in*
Genes. 15. Quoniam sibi mer-
cedem ab homine non quæsivit,
à Deo accepit, sicut legimus
scriptum: *Quia post hæc*
factū est verbum Domini ab A-
braham in visu, dicens: Noli
timere Abraham, ego protegam
te, merces tua multa erit valdè.
Non est serus ad remunerandū
Dominus; & citò promittit, &
multa largitur, ne infirmos ani-
nimos per dilationem aliquam,
subeat pœnitētia, contempſiſ-
ſe

„se præsentia, & veluti quadam
 „usuraria largitate compensat, ut
 „überiora restituat ei, qui ca-
 „ptus non fuerit oblatione præ-
 „sentium. Hactenus D. Ambro-
 sius, qui innuit, quoque filiū Isa-
 ac à Deo illi datū in hac vita re-
 munerari Deū eos, qui illius ser-
 vitiū gratis procurant, nam de
 mercede futuræ vitæ in æterni-
 tate, non est, qui dubitet. Vi-
 de alia in Curatore Animarum
 P. 4. cap. 10. 12. 13. pag. mibi
 266. l.c.

REGULA XVI.

Verbum Dei Clericus secularis,
 sive curatus, sive incuratus non
 solum attente legat, alijs cum pio
 fervore prædicet, sed ab alijs fru-
 etuose audiat.

OPcimè Joannes Climacus ait
 Gradu 14. Nos facilius perve-
 ni-

nire, ac breviore tempore ad perfectionem per auditionem divini verbi, quam per ingenij perspicuitatem, & per libros. Ratione assignat D. Hieronymus *Lib.*

2. Epist. ad Gallat. Scriptura divina edificat & lecta: sed multo plus prodest, si de litteris vertatur in vocem, magnam siquidem vim habet viva vox. Et si acriora sunt, quae legis, quam quae audis aliquando, altius tamen in animo sedent, quae pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentes affigit. Quot viri etiam doctrinâ, & scientiâ insignes, divini verbi prædicatione à non eloquenti, aut ita erudito ministrata, viam suam in melius mutaverunt? Hinc est illud vetus proverbium: Etiam pisces egent sale. Hoc est pisces marini, etsi
sal.

falsi maris aquis alantur, egent
tamen sale, quo condiantur in
cibū, ut sapient comedentiū pa-
lato. Etsi Sacerdos es, & in stu-
dio sacrarū litterarū versatus, &
tu quoq; eges sale, ut ac alio edo-
cearis. Certū est ex doctrina Sā-
ctorū Patrū, & ipsa luce meridi-
ana clariū, neminē scire omnia,
& posse juniores vel aliū minus
eruditum nosse, quæ tu ignoras.
Quis Moysē eruditior, & prudē-
tior? Libenter tamē audivit cō-
filium Jethro saceri sui, & ex-
equutus est. Quibus auditis Moy-
ses, fecit omnia, quæ illi sugges-
ferat. Inquit Sacer Textus **Exod.**
cap. 18. v. 24.

Deinde tepor aliquis, seu ace-
dia quadam in rebus etiam spiri-
tualibus obrepere solet, quam si
citò non discutiamus **ex senten-**

tia

tia S. Dorothei, ceu arefacti, aut
dissecti nonnunquam cademus.
Hunc temporem Deus viva voce
exhortatis pellit, & semi mortuum
igne excitat, & accendit. Non-
ne cor nostrum ardens erat in no-
bis, dum loqueretur in via. *Luc.*
cap. 24. v. 32.

Si ergo in eo loco resides, in
quo non desunt, qui has divinas
dapes tibi apponant quotidie; ut
evenire solet in civitate, in op-
pidis, & in locis nonnullis am-
plioribus; invitatus ad tale con-
vivium ire non recuses, imo nec e-
tiam invitatus opportunè, impor-
tunè intrare contendere, sunt ete-
nim eloquia Dei verus cibus a-
nimæ. Quam dulcia faucibus
meis eloquia tua. *Psal. 1. 18. v.*
Audi Thomam à Kempis: O bo-
ne IESU, cui tu sapis, quid ei

recte nō sapi, & cui tu non sapi-
es, quid ei ad jucunditatē esse po-
terit. Et cogita non hominē à te,
sed Deū ipsum auditū iri, hæc e-
nim cogitatio omnē jactantiā, quæ
in animo tuo oriri posset, tollet,
paravit animam tuā ad attentio-
nem, reverentiam, & cupiditatē
audiendi, & proficiendi.

Si autem ibi commoraris, ubi
illud dici potest, quod est *in I. Regum cap. 3. v. 1.* Et sermo
Dei erat pretiosus, hoc est, ut ex-
ponit D. Gregorius, rarus admo-
dum. Quia præter eum, cui ani-
marum præfectura commissā est,
solus Sacerdos es, vel etiā tu so-
lus curator, & præter te nullus
Sacerdos alias, ut est in pagis, &
villulis; adhuc tamen hoc coele-
sti pabulo non carebis, si hæc
pauca præstabis.

Parochi sermonē festivis dieb⁹
 diligenter ausculta, & eo affectu,
 ut ex eo spiritualiter ædificaris:
 non ut sermonem hominis, etsi
 minus periti & eloquentis, sed
 ut sermonem Dei excipe. Recō-
 de pauca illa verba in corde tuo,
 quædam utiliora pro tua emen-
 datione, & profectu elige, quæ
 per totam hebdomadā rumines,
 recogites, & tanquam medicamē-
 ta tuis morbis applies. Etsi sim-
 plex sit sermo Parochi, & minus
 compositus, est tamen Dei verbū,
 penetrabilius omni gladio accuto.
 Etsi etiam deerunt libri pij, & sacri,
 quos quotidie perlegere possis.
 sunt libri, quasi muti magistri,
 qui nos erudiunt.

Verūm si tu ille es, per quem
 sale cōcionis condiendi sint alij,

quotidie inter virentia divinorum
 eloquiorum prata spatiari poteris; imò & debes, si de bonis pa-
 scuis tuo gregi providere cupis.
 Neq; enim differre debes usq; ad
 diem festum ea parare, quæ po-
 pulo dicturus es: omnia suum
 tempus requirunt. Primò frumē-
 tum colligendum est, deinde tri-
 turandum, postea purgandū, so-
 li exponendum, molendum, de-
 indè conficiendus panis, deniq;
 coquendus. Similiter & tu per
 totam hebdomadā sacros libros
 evolve, studiosè perlege, ex his
 quæ legis, ea tantum felige, quæ
 spiritualis tui gregis necessitati
 magis consentanea judicaveris,
 pauca illa grana, soli divini lumi-
 nis, & gratiæ expoñe, concoque
panem calore orationis, atq; sic
concoctum, populo tuo mandu-

candum propone, hac siquidem ratione, quotidie divinum verbū audire poteris, eritq; concio tua, non minus populo, quām tibi ipsi utilis, & fructuosa, fietque, quod D. Hieronymus peroptat in omnibus divini verbi prædicatoribus: Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & quæ inebriat, ipsa quoq; inebriabitut. *Lib. 2.*

in Proverb.

REGULA XVII.

Clerici Cōgregationem spiritualem crebrius instituant conferendo inter se, non solum de fervente verbi Dei prædicatione, catechizatione, vitiorum extirpatione, virtutum implantatione, earum incremento, devotione in SS. Eucharistiam, B. V. Mariam, & aliis Sæctos, sed & de proprio virtutum studio, & profectu.

Consulerem etiam, ubi loci cōmoditas id tulerit, quemadmodum a nonnullis probis Sacerdotibus jam pridem in usu receptum est, & quidem cum ingenti suo fœnore spirituali, ut quatuor, aut sex Sacerdotes semel in hebdomada uno in loco simul convenient, sub tutela & præficio Beatissimæ Virginis ad agendum de alijs rebus, quibus incitentur & juventur simul ad salutem, ad perfectionem, etiam sub ductu alicujus Sacerdotis inter alios in hac eadem perfectio-
nis via magis versati.

Optimum sanè institutum, nec quidem novum, & recens, sed ab alijs non tantum Monachis, Eremitis, & Anachoretis, ut patet apud Cassianum, sed ab Apostolis ipsis ad nos usq; derivatū. Clarè hoc

hoc ex Pauli dictis colligitur: *ad Gallat. cap. 2. v. 2.* Ascendi, inquit, secundum revelationem, & contuli cum illis (scilicet Apostolis) Evangelium, quod praedico in gentibus, ne forte in vacuum curerem, aut incurrissem. Profecto non ascendit Paulus ad descendū Evangeliū, quia jam ante dixerat, se non ab homine illud didicisse, sed per revelationē IESU Curisti, ascendit ergo, cōferre Evangelium. Et Cassiodorus ait. *Lib. de amore.* Gratissima erat fratribus Antiochenis Pauli, & Barnabæ præsentia corporalis; quorum doctrina, quorū collatione, & disputatione firmabantur in fide. Idem factitatum fuisse à Florentino Sacerdote piissimo, Thomas à Kempis afferit, „cap. 25. vite fol. 101. Egregius,

„us, ac vernans flos Sacerdo-
 „tum Magister Florentius, fer-
 „vidus animarū zelator, non so-
 „lūm curam domesticorum fra-
 „trum habuit, sed etiam saluta-
 „ris verbi semina in alijs vicinis
 „Clericorum Congregationibus
 „plantare studuit; faciens inter-
 „dum collationē devotæ exhor-
 „tationis. *Hæc omnia Thomas.*

D. Chrysostomus hujusmodi
 cœtus, & congregations, con-
 vivijs collatitijs, seu symbolicis
 comparat, sic enim ad populum
 „Antiochen. *Homil. II. ad pop.*
 „, ant. Quoniam se quisq; per se-
 „, ipsum emendare facile non po-
 „, test, faciamus sodalitia, & col-
 „, lationes, & quod in convivijs
 „, pauperes faciunt, quoniam non
 „, potest quisq; solus convivium
 „, exhibere perfectum, conveniē-

„tes omnes ex symbolo omnium
 „conferunt; hoc & nos faciamus:
 „postquam per nos ipsos torpidi
 „sumus, collationes facientes in-
 „ter nos, consilium spondeamus
 „conferre, & monitionem, & ex-
 „hortationem, & increpationē,
 „& minas, ut ex singulorum stu-
 „dio omnes recte agamus. *Hec*
omnia Chrysostomus. Ex quibus
 licet colligere, non tantum hu-
 jus laudabilis instituti consuetu-
 dinem, sed etiam ingentes, quæ
 inde emanant, utilitates.

Primò enim in hujusmodi spi-
 ritualibus congressibus pellitur
 tœdium illud, seu sopor, quem
 nonnunquā immittit dœmon in
 properantibus ad perfectionem,
 dœmonis artes, quibus profectū
 spiritualem vel impedire solet,
 vel exterminare, deteguntur, &

arma subministrantur, quibus' po-
tissimum elidantur. Locupleta-
tur enim intellectus ex singulo-
rum doctrina, monitis & docu-
mentis, sunt enim in his conven-
tibus singuli omnium, & omnes
singulorū magistri vicissim, & di-
scipuli, dum omnes in unum qua-
si thesaurū conferunt, quidquid
illis occurrit in via spirituali.
Inflammantur & accenduntur a-
nimi ad virtutem. Si lapis sa-
pè ad lapidem concusus scintil-
las exilere facit, tametsi nihil fri-
gidius lapide, nihilq; igne cali-
dius; at tamen concussio, vieta
natura ignem elicit. Quod cum
lapillis contingit, multò idem fit
& in animabus, quæ mutuò atte-
runtur, & igne spiritus concale-
scunt. Ita Chrysostomus Ho-
mil. 6. ad pop. ant.

Atq;

Atq; hæc flamma caloris facilius exardescet, si ille, qui hujusmodi conventibus præest, tum exemplo suo, tum verbis suum quoque fervorem, & spiritum adiungat.

Symbola autem, quæ unusquisque ad hæc convivia spiritualia collatitia afferre debent, ut ex varietate jucundiora, & utiliora redditantur, sunt alacritas, & promptitudo conveniendi. Multum facit hec alacritas, segnitiem expellit, tollit impedimenta, que te avocare possunt à cōgregatione. Auget desiderium tuæ salutis, dedesiderium autem aperit, & magis dilatat os cordis, ut magis diuinâ gratiâ implearis. Fames bonæ valetudinis inditum est.

Existima, hujusmodi conventus spirituales esse tibi in primis val-

valde utiles, & necessarios, quia
 in ijs agitur de sanandis animi
 morbis, quomodo in vita cresca-
 mus & roboremur, quā ratione
 ad eam perfectionem brevi per-
 veniamus, statui tuo convenient-
 tem. Vita boni religiosi omni-
 bus virtutibus pollere debet, ut
 sit talis interior, qualis videtur
 hominibus exterior. Et merito
 multo plus debet esse interior, quam
 quod concernitur foris; quia in-
 spector noster est Deus, quem
 summoperē revereri debemus, u-
 bicunq; fuerimus, & tanquā An-
 geli in conspectu ejus mundi in-
 cedere, inquit Thomas à Kempis
Lib. de imit. Chr. cap. 19. n. 1.

Ad hos spirituales cōetus offer
 animum tuum vacuum & plenū,
 vacuum quidem externis negotijs
 & perturbationibus, quia pluri-
 bus

bus intentis minor est ad singula sensus: plenum autem proficiendi

In ipsis autem conventibus, quae dicuntur, & monentur, tibi praefertim dicta existima, atque ideo aliqua semper annotabis, quae possint tuæ vitæ emendationi, ac perfectioni, vel parandæ, vel augendæ, quæ postea per totā hebdomadā exequaris; tu tibi ipsi medicamentum applica, ut tandem convalescas. Turpe existimat. D. Chrysostomus *Homil.* 38. in *Genes.* vacuum medicamentis illum redire, qui ad domum medici accessit, & officinam medicamentorum adjit.

Disce etiam in Plutarcho *Lib. de audit. off.* Quid prodest sermonibus alienis animum oblectare, si nihilò tu fias melior? Qui

im-

immoti confident ad ignem, fo-
menta inde accipiunt, ut faciei
ruborem; ita si adhos spirituales
cætus accedis, in quibus divinus
ignis vel excitatur, vel exarde-
scit magis, & nihil inde caloris
tecum defers, turpissimum est,
tibiq; valdè perniciosum. *Vide*
alia in Curat. anim. pag. 4. cap.
7. 8. 9. pag. mibi 245.

R E G U L A XVIII.

Mortificationis studium Clerico
seculari vel maximè necessarium,
eius enim usus est ad perfectionē o-
ptimus gradus.

NIhil profecto facilius est, quā
de mortificatione disserre, i-
psius regulas alijs præscribere,
nec non aliorum frangere volun-
tates, & hoc mortificationis fla-
gello pulsare; at non est cuiq; ita
facilè seipsum eodem flagello per-

cu-

cutere. Chirurgus etiā magna animi alacritate, ac cōstantia alterius putridam carnem urit, & secat, suam verò carnem, si morbum similem contraxerit, vix & non sine magno dolore levissimācontrēctat manu. Et tamen & tu Sacerdos homo es, eandem carnem induis, quām alijs rationi; & spiritui contumacem. Quare ergo eadem medicamenta; quæ offers alijs, tibi ipsi non applicas ? qui eadem laboras infirmitate, & fortissime majori, & acrioribus stimulis ad peccandum, vel ex pinguioribus redditibus, vel ex otio majori, vel ex frequentioribus objectis, & periculis ?

Tibi siquidem & illud B. Pauli *ad Rom. cap. 8. v. 13.* Si secundum carnem vixeris, morieris,

ris, si autem Spiritu facta carnis
 mortificaveris, vives. Quid est
 autem secundum carnem vivere?
 Optimè explicat B. Pro per. Lib.
 „ I. de vita cono. c. I Ille secun-
 „ dum carnem vivit, qui secun-
 „ dum seipsum vivit, qui pergit
 „ quò vult, dormit quando, &
 „ quomodo vult, loquitur, quæ
 „ vult, & ubi vult, manducat &
 „ babit quando, & quod vult, &
 „ quantum vult, ridet, & læta-
 „ tur, inter quos vult? postremò
 „ quidquid naribus suavè est,
 „ quidquid tractare blandū, quid-
 „ quid oculis delectabile, quid-
 „ quid sensibus cæteris carnis suæ
 „ jucundū, exercet, ac sequitur,
 „ qualiter vult; quia omnia lici-
 „ ta, & illicita carnaliter vult.

Quinimò illud Moysi dictum
 tibi præcipue convenit Exod. e.

3. v. 5. Solve calceamentū de
pedibus tuis, nam locus, in quo
stas, terra sancta est. Status e-
nim Sacerdotis, & Pastoris ani-
marū omnino sanctus est, nec me-
diocrem usum mortificationis tā
interioris, quam exterioris homi-
nis requirit, sed strenuū, & ve-
rè assiduum. Toto ergo cœlo er-
ras, & manifeste te ipsum decipis,
si existimas sine mortificationis
usu posse te ad aliquem perfecti-
onis gradum pertingere, aut etiā
divinam gratiam consequi, &
fovere, vel ullam veram, ac soli-
dam virtutē consequi ; nam hæc
testē D. Thoma P. 2. q. 59. art.
2. passiones sedatas requirit.

Planè hoc est in confessō apud
omnes. Tantū proficies, quan-
tū tibi ipsi contuleris. Non in
quantū oraveris, aut prædica-
ve-

veris, aut in doctrina eruditior
evaseris, sed in quantum in pra-
etico mortificationis usu profe-
ceris, perfectionem consequeris.
Et Thomas à Kompis *de mortific.*
, suis suis cap. I. Tantum profi-
cio, quantum pro Christo di-
mitto, & tantum proficio, quā-
tum à me exeo : Ubi me relin-
quo, ibi me invenio, & ubi me-
ipsum quero, ibi me perdo.
, Ubi me ipsum accomodo, ibi me
, lədo.

Adde, si curam animarum quæ-
ris, etiam ob spiritualem aliorū
utilitatē hoc mortificationis stu-
dium exercendum est; via enim,
per quam gregem tuum ad æter-
nitatis pascua dirigere debes,
profectò non est alia, quam sui
ipsius abnegatio : Ita Paulus *ad*
Ephes. cap. 4. v. 21. 22. In ipso
edo-

edocti estis, sicut est veritas in Christo IESU, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis. At pastor gregē suum præire debet, nec tu artem ullam bene alios docebis, quam ipse prius non didiceris.

„ Itaq; omni die (ut utar versis Thomæ Kempensis de mortificat: oportet te proponere, „ velle mori proper Christum, & „ de novo incipere emendare vitam tuam, & te ad pœnitendum, „ & ad moriendum disponere, & „ te ipsum vincere; atq; hoc ipsū „ propositum viriliter exequi.

Verūm cùm mortificatio duplex sit interioris, & exterioris hominis, cùm interior mortificatio tanto nobilior, & excellenter

tior, quanto anima corpore præstat; in hac præcipuum studium ponendū est, exterior tamen negligenda non est, etenim se invicem juvant, nec ab invicē separari debent.

Nulla prætereat dies, in qua in aliquo de teipso victoriā unā non reportes, etiam in rebus parvis, nam parva non vincunt, & nos capiunt, quod volucrum exemplo „nos docet S. Eprhrem *Serm.* „*de lingua mala.* Ex volucrum „aucupio disce, quæ parva vidētur, non ideo contempnenda; „contingit enim, ut avis in lanqueum incidens minimā capiatur unguicula, & alarum vires „franguntur ac debilitantur ob unguem vilem, & cùm totum corpus sit extra laqueum, totū „tamen retinetur. Et leonem for-

fortissimum omnium bestiarum
 capillo teneri, & aquilam vo-
 lucrum robustissimam ungue il-
 laqueatam venatori obnoxiam
 reddi, scribit S. Dorotheus. Sed
 si hoc evenit in parvis, quid e-
 rit in magnis, in abneganda pro-
 pria voluntate, in moderandis
 parvis animi affectibus, in cohi-
 bendo amore proprio, à quo tā-
 quam à radice omnium vitiorum
 rami enascuntur? si in lapide i-
 maginem aliquam insculpas, & si
 magno labore id facias, manente
 tamen lapide eadem imago sem-
 per perseverat, quia lapis, cum
 sensu, & motu careat, non est
 mutationi subditus. At tu non
 es lapis, sed homo, non semper
 in eodem statu permanens, & in
 quo affectus veteris Adæ revivi-
 scunt, undè necessarium est ite-
 rum,

rum, atq; iterum mortificationis gladio, quæ pullulant refecare; nunquam in hoc spirituali bello arma deponenda, nunquam in otio standum est.

Mortificationi interiori exteriorem aliquā, sed discretam corporis afflictionem junge quotidie, quæ interiorem adjuvet, ne carnis insolentia fructu bonorum operum priveris: & cūm, ut plurimū peccata comittamus, vel ex carnis suggestione, vel ut illi indulgeamus; si caro te decipit, & te quotidie trahit ad culpam, etiam quotidie eam corrige.

Mirabiles inde in animam tuā utilitates emanabunt, quas, quia paucis Cæsarius Arelatensis Episcopus Nom. i. egregiè complexxus est, illas ab ipso excipe. Sæcūlæ afflictiones humiliata corpore

,,pora macerant, sed immaculata
,,corda purificant. Mēbris sub-
,,trahunt fortitudinem, sed con-
,,scientijs addunt nitorem: Ni-
,,hilominus de cōtritione animi
,,redimuntur crima volupta-
,,tis. Per duræ crucis exercitia
,,deceptæ dudum carnis gaudia
,,puniuntur; ac sic mortificati-
,,one præsenti futura mortis sen-
,,tentia prævenitur, & dum cul-
,,px auctor humiliatur, culpa cō-
,,sumitur: dumq; exterior affli-
,,ctio voluntariæ distinctionis in-
,,fertur tremendi judicij offensa
,,sedatur, & ingentia debita la-
,,bor solvit exiguis quæ consum-
,,pturus erat labor æternus. Hæc
ille. Si hæc bona sigillatim ex-
pendes, has corporis afflictiones,
non tam asperas, & difficiles hor-
rebis, sed uti suaves & utiles li-
ben-

benter amplexaberis. Quanta futura sit gloria & consolatio carnē suam castigantibus, hīc non cognoscimus, sed in futura vita videbimus. Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lātificaverunt animā meam. *Psal. 93. v. 19.*

Ne quæso te terreat, ab hoc tam necessario opere Dœmon, qui cum sit immundissimus spiritus, horret has voluntarias carnis afflictiones, propterea illas dissimilare conatur, ut egregiè annotavit Hugo Victorinus *Lib. 1. de claus. an. cap. 2.* Ecce Diabolus Physicam docet, ecce medicus factus est, de complexionibus loquitur, infirmitates diversas, si teneatur religio, generari prædicat; sed quare hoc? Nō ut remederi velit, sed ut occidere

dere possit: Non ut ægritudi-
nes curet, sed ut securius infe-
rat mortem. Videt ex subtra-
ctione ciborum, luxuriæ vires
posse minui, & ideo non tardat
minari ægritudinem. Idem di-
cendum de cæteris carnis casti-
gationibus.

Neq; minus ab amore proprij
corporis te superari patiaris, nā
hoc non est odiisse carnem tuam,
sed amare, non occidere, sed sal-
vare. Est Christi Domini dictum
Matth. cap. 16. v. 25. Qui vo-
luerit animam suam salvam face-
re, perdet eam, qui autem perdi-
derit propter me, inveniet eam.
Et illud D. Bernardi *serm: Ecce*
nos. Tempus hoc animabus, non
corporibus assignatum est; dies
salutis, non voluptatis, omnia tē-
pus habent, animabus nunc ope-

ram dare necesse est. Hoc debet esse negotium nostrum, vincere seipsum quotidie, atq; in melius proficere. *Vide Curatore Animarum P. 3. cap. 4. pag. mihi 134.*

REGULA XIX.

*Fragmenta temporis studiosè à Clero sacerdotali colligenda, ne pe-
reant.*

VOco fragmenta temporis, parva illa horarum spatiæ, quæ suum proprium, & destinatum ministerium non habent; cuiusmodi est, parva illa mora, dum paratur prandium, vel cœna, vel signum campanæ minoris quæ te vocat ad Chorum, exspectas, vel præstolaris amicum negotij causa, vel ad suscipienda Sacra-menta fideles exspectas, & his similia: quæ quidem, si diligenter non cures, prætereunt sine lu-
cro,

ero, & infructuosè, nec sine aliqua jactura animæ tuæ, quia & de his particulis temporis ratio à te exigetur ab eo, qui minima quæque curat, & attingit suâ prudenteriâ. Majori diligentia tempus nobis servandum est, quam aurum, quia illo pretiosius est, & si frustula auri diligenter colligimus, & asservamus, quare non & frustula temporis? cum nullum sit adeò exiguum, quin in illo vitam æternam mereri valeas. quæ admodum latro in cruce consequutus est.

Deinde ex tribus partibus temporis, nulla à nobis possidetur, nisi hæc brevissima, quæ præsens est; præterita jam abiit, & amplius non est, futura nondum advenit, sola præsens tua est, si hanc in res inutiles prodigis, nonnè

hoc est totum tempus otiosè consumere? Tempus quidē præsens proijcere, ac serò postea revocare præteritum, quando nullum est lapsæ virtutis remediū, summae stultitiæ est, inquit S. Basilius *de lib. Gentil.*

Scisciranti verò, quānam ratione hæc pauca fragmenta ita colligi possint, ut ex ijs paucis fiat unū satis, ex quo diteris? Unico verbo respondeo; Deum verè dilige; Nam si Deum ardentius amaveris, nunquam otiosus eris; nam Christi amor non finit in anima nasci torporem, ait Ioannes Trithemius. Ex D. Bernardi Sententia *Serm. 6. De modo bene vivendi:* Deum verè diligenti, nulla est hora otiosa; Flammæ ignis muscæ otiositatis nullo unquam tempore adhærere possunt.

Vel

Vel fabrum imitare ferrarium,
 qui inter operandum pro quovis
 laboris levamine incudem suam
 ferit, & malleo percutit: sic tu
 illo brevi temporis spatio percu-
 te pectus tuum, ut aliquis sonus
 audiatur, qui te ipsum excitet, &
 dulciter sonet in auribus Christi
 Sponsi tui: hoc est breves ali-
 quas orationes jaculare in Deum,
 quæ divinum illius pectus feri-
 ant, neq; enim vacuæ redibunt.

Cur etiā parva illa mora cum
 Angelo, qui à latere tuo nusquā
 recedit, quique instar pædagogi
 te sequitur, custodit & regit,
 dulces aliquos non misces fermo-
 nes? cur non eum alloqueris?
 cur non aliquos reverentiæ actus
 erga ipsum exhibes? cur gratiā
 aliquā ab eo non exposcis? xgri,
 nisi ad eos aliorum precibus me-

dicus fuerit invitatus, pro se ro-
gare non possunt, infirma est ca-
ro, mens ægra est, & peccatorū
vinculis impedita, ad medici il-
lius sedem debile non potest ex-
plicare vestigium. Obscurandi
sunt Angeli pro nobis, qui nobis
ad præsidium dati sunt. Ita D.
Ambrosius *Lib. de viduis cap. 8.*

Vel cor tuum, & mentem ap-
plica ad eam actionem, quam mo-
do aggressurus es, etiamsi sit re-
fectio corporis, ut omnia facias
in Dei honorem juxta D. Pauli
præceptum *I. Corinth. cap. 10.*
v. 31. Sive manducatis, sive bi-
bitis, sive quid aliud facitis, o-
mnia in gloriam Dei facite. Si-
quidem talis applicatio diligen-
tiam parit, otium, & segnitiem
fugat.

Aliter, si hæc fragmenta, ceu
mi-

micas temporis neglexeris, cave,
ne illud tibi exprobret Dæmon
mortis tuæ tēpore, quod in mo-
nasterio Gigniacensi Monacho illi
exprobavit, qui cùm viveret,
micas panis è mensa cadere, ac
perire sinebat, violans morem
probatum ex charitate, ac pau-
pertatis spiritu introductū; Mo-
ribundo enim astitit aspectabili
forma, saculum micarum plenum
ostentans, ut in desperationem
induceret; quod obtinuisset, ni-
si Fratrum vehemētes preces ob-
stitissent. At pretiosiores sunt
micæ temporis, quàm panis.

Verū si has diligenter asser-
vaveris, in gemmas, & margari-
tas tibi erunt aliquando: Sicut
pariter micæ panis asservatae in
manibus illius Monachi fuerunt,
qui, dum manum applicaret, ut

micas collectas, ne caderent in
mensa, Abbatii ostenderet, eas
in margaritas conversas, omnes
viderunt, & obstupuerunt, *Surius*
28. Nov. in vita S. Odonis. Et
Thomas à Kempis de *imit. Christi lib. 1. cap. 25.* Gaudebis sem-
per vespere, si diem expendes
fructuosè.

REGULA XX.

*Præparet se Clericus secularis
quotidie ad fælicem mortis horam
à Deo consequendam.*

Inter tuas quotidianas exercita-
tiones etiam hanc connumera,
& mordicūs tene, ut quotidie co-
gites, te moritum, seu potius
te continuo mori, ut ad hunc ex-
tremum vitæ tuæ actum, fœlici-
ter concludendum, te præpares,
Q hebetudo, & duritia cordis
humani, quod solum præsentia

me-

meditatur, & futura non magis
prævidet; Sic te in omni facto,
ac cogitatu deberes tenere, quasi
hodie es es moriturus, inquit Tho-
mas à Kempis *De imit. Christi* l.

I. c. 23. n. 1. Sanè hoc negotiū
tanti ponderis est, ut sit summa
rerum, momentum, unde pendet
æternitas, vel fælicitatis, vel mi-
sericordiæ, & pro quo negotio pro-
sperè, ac utiliter concludendo
tota vita benè impensa à Christiano
hominе existimari debet. Ipse
se seducit, & de morte sua lu-
dit, qui hoc non recogitat, ait
D. Augustinus *serm. i. cap. 20.*
de temp. Præveniendus eit hic ti-
bi dies, qui in cautos solet præ-
venire; quia etsi omnibus dictū
est, ut vigilent, tibi inprimis; Et
janitori præcipue dixit, ut vigi-
let. Tu es hic janitor, quia Sa-

cerdos es, & claves solvendi,
 atq; ligandi datæ tibi sunt, qui
 pastor ovium es, qui tanquam vi-
 gil; ac speculator in populo po-
 situs es, qui non tantum de tuis,
 sed & de aliorum peccatis ratio-
 nem es redditurus. Iudicium du-
 rissimum his, qui præsunt, fiet,
 sed quando hoc fiet, nisi in mor-
 te? Disce ergo nunc mori, ut
 nunc incipias vivere cum Chri-
 sto.

Quomodo autem te pares pro
 hoc tam formidoloso, & ancipi-
 te certamine, breviter disce à sa-
 piente: Memor esto, quoniam
 mors non tardat. Da, & accipe,
 & justifica causam tuam; quoniam
 non est apud inferos invenire ci-
 bum. *Ecclesiastici cap. 14. v. 12.*
ib. 17.

Primum sapientis monitum est
 affi-

assidua, sed seria memoria mortis,
 quam quidem recordatione faci-
 lè tibi erit sovere, quia quotidie
 vitâ functos habes præ oculis,
 mortis imago perpetua versatur
 ante oculos tuos, dum pro illis
 oras, dum illos comitaris ad se-
 pulturam, dum illos morti pro-
 ximos visitas.

Memini me audisse à pio quo-
 dam Sacerdote, animarum Cura-
 tore. Quoties dicebat ille, de-
 functum in feretrio jacentē aspi-
 cio, subitq; animum meum recor-
 datio, me de illius anima justissimo
 Deo rationem redditurum,
 & hoc in eventu meæ mortis, to-
 to corde perhorresco, illicò o-
 mnis avaritiæ titillatio fugatur
 ab animo meo, nec attendo, an
 intortitia sint longa, vel brevia,
 nec venit in mentem contendere

cum hæredibus de funeralibus,
& talis asperitus præ timore la-
crymas mihi potius excutit ab
oculis, quam gaudium, & lætitia
ex praesenti commodo & lucro;
optimus sanè sensus pij Sacer-
dotis.

Fover etiam hanc mortis me-
moriā, si attentē consideres san-
ctissimum Missæ Sacrificiū, quod
quotidie in Altari Deo Patri of-
fers, in hunc enim finem etiam
ab ipso Christo institutum est,
ut sit ipsius Passionis & mortis
rememorativum; summæ demen-
tiæ est, mortem Christi Domini
affiduè recolere, & ita vivere,
quasi tu ipse nunquam sis mori-
turus, nec unquam de tua morte
recogitare.

D. Basilij monitum *instruct. ad*
fit. serua; Cūm manè surrexer-
ris,

ris, ambige te ad vesperam per-
venire, & cùm in lectulo membra
ad quiescendum posueris, noli
confidere de lucis adventu, sem-
per ante oculos tuos versetur ul-
timus dies. O si tibi verè per-
suaderes, Missam, quam hodie ce-
lebraturus es, ultimam tibi fore,
nec tibi imposterum concessum
iri, ut iterum celebres: Nec cū
Canonicis tuis in Choro divinas
laudes te amplius cantaturum,
quanta quoq[ue] pietate, religione,
ac devotionis affectu hæc, & alia
omnia munia tua perageres. Cū-
q[ue]tis diebus, quibus nunc milito,
exspecto, donec veniat immuta-
tio mea. *Job. cap. 14. v. 14.* Sed
quid inde sequitur? vocabis me,
& ego respondebo tibi. Hæc af-
fidua mortis meditatio pro tran-
situ viaticum parat.

Mo-

Monet secundo loco Sapiens :
 Da & accipe. Hoc est, ut sub-
 ducas rationes, cum anima tua
 habe rationem dati & accepti,
 tu tibi ipse esto iudex. Si enim
 poenas de nobis hic sumiserimus,
 si nos propter peccata quotidiana
 condemnaverimus, non utiq;
 juxta D. Pauli dictum judicabi-
 mur, inquit D. Ambrosius *in Ps.*
118. Et Thomas à Kempis *de im-*
mit Chr. lib. I. cap. 24. O mi-
 serrime, & insipiens peccator,
 quid respondebis Deo omnia ma-
 la tua scienti? qui interdum for-
 midas vultum hominis irati, ut
 quid non provides tibi in die ju-
 dicij, quando nemo poterit per
 alium excusari, vel defendi, sed
 unusquisque onus erit sibiipse.
 Nunc labor tuus est fructuosus,
 fletus acceptabilis, gemitus exau-
 di-

dibilis, dolor satisfactorius & purgativus. Quotidie peccas (quis enim omnino immunis à peccatis?) quotidie eadē per pænitentiam lava, quasdam afflictiones corporis pro illorum satisfactione ultrò quotidie assumito; nam ex dicto S. Prosperi *in Sent. num. 210.* Cessat vindicta divina, si conversio præcurrat humana.

Idem præsta cum conscientia tua, id est oculo corporis; adeò delicatus est oculus, ut si in se, vel minimum quid pulveris senserit, doleat, angatur, & talem molestiam ferre non valens, lacrymis depellere conatur; sic cum oculo conscientiæ facere par est, cùm in peccatorum quavis minutorum lapillos, scrupulos & pulverem adhæsisse persen-

se-

serit, illicò lacrymis, dolore, &
 Sacramento depellat. Melius est
 modò purgare peccata, & vitia
 resecare, quām in futuro purgan-
 da reservare, Thomas à Kempis
 de imit. Christi lib. I. cap. 24. &
 „rursus cap. 23. Quid prodest
 „diu vivere, quando tam parūm
 „emendamus ; Ah ! longa vita
 „non semper emendat, sed sæpè
 „culpam magis auget. Multi an-
 „nos computant cōversionis, sed
 „sæpè parvus est fructus emenda-
 „tionis. Si formidolosum est
 „mori, forsitan periculosius erit
 „vivere. Si hodie non es para-
 „tus, quomodo cras eris ? Cras
 „est dies incerta, & quid scis, si
 „craftinum habebis ? Hæc omnia
 Thomas à Kempis.

Addit ultimo loco Sapiens : Iu-
 stifica animam tuam, ante obitū,
 ope-

operare, iustitiam, quia non est
 apud inferos invenire cibum. Sā-
 & tifica animam tuam, habet Græ-
 ca significatio, virtutes pro via-
 tico para, & ut monet ubi supra
 , Thomas à Kempis. Dum tem-
 , pus habes, congrega tibi divi-
 , tias immortales. Præter salu-
 , tem tuam nihil cogites, solum,
 , quæ Dei sunt, cura. Fac tibi a-
 , micos, venerando Dei Sanctos,
 , & eorum actus imitando, ut
 , cum defeceris in hac vita, illi
 , te recipiant in æterna taberna-
 , cula.

Beatus servus ille, quem, cùm
 venerit Dominus ejus, invenerit
 sic facientem, *Mattb. cap. 24, v.
46.*

Sed cùm gratia obdormiendi in
 Domino, sit omnium maxima,
 ut pote initium nostræ felicitatis,
 &

& clausula omnium divinorum beneficiorum hujus vita, summis & assiduis precibus a Deo impletanda est. Cum hoc certum sit ex communi Theologorum sententia, donum perseverantiae concedi nobis ex mera Dei gratia, & misericordia, atqui perseverantia in hoc maximè consistit, ut quis in Dei gratia ex hac vita decadat.

Singulis ergò diebus partem aliquam temporis habebis huic negotio destinatam, in qua causam hanc animæ tuæ cum Deo tractes. Aliqua opera misericordiæ tam spiritualis, quam corporalis quotidie exercebis, quæ in hunc finem diriges, cum scriptum sit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Matth. cap. 5. v. Et Psal. iii.

v. 5. Jucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio, quoniam in sæculum non commovebitur. In hunc quoq; finem aliquas carnis afflictiones in consilio Patris spiritualis assumes, ut tunc temporis placatus sit tibi Deus.

Sed nihil efficacius, quam si, cum Missam celebras, habesq; ipsum Dominum præ manibus, illumq; quasi captivum tenes, ipsum obsecres, & obtesteris, ut te in morte in sinum suum recipiat, & Moysis exemplo inter e-jus amplexus, & oscula spiritum emittas. Nullum ergo acceptabilius Deo offerri potest sacrificium, sive ad exsolvendum Laudes, sive ad exhibendum gratias, sive ad impetrandam indulgentiam, vel ad gloriam promerendam,

quam

quam Corporis, & Sanguinis
Christi sacrosanctum mysterium,
sapienter scripsit S. Laurentius
Iustinianus serm. de Corpore
Christi.

R E G U L A XXI.

De omnibus diei perfectæ cogi-
tationibus, & actionibus Clericus
secularis vespere ante cubitu con-
scientiam suam serio discussiat, co-
tritionem veram eliciat, & firmis-
simum emendandi propositum sta-
tuat.

Appositè in rem nostrā Thomas
à Kēpis Exerc. Spir. c. 10. Si
verè proficere vis, omni vespere
te discussere non omittas; quod si
feceris, renovaberis spiritu men-
tis, & pacem habebit tabernaculū
tuum. Securè dormies, & non e-
rit, qui exterreat quiescentem
cum

eum Christo. Mirum valde, & tremendum nimis, quod quis, audiat ire dormitum cum gravi aliquo delicto, nec compunctus, nec confessus.

Villicus es, habes codicem, nempe Cōscientiam tuam, ait D. Chrysoftomus, in quo describas quotidianas expensas, sed antequam somnus obrepat, aperi hūc codicem, lege quæ in eo scripta sunt, ut debita solvas. Mercator es, & quidem pretiosarum mercium, nobis enim Sacerdotibus à Patrefamilias præcipue daturum est: Negotiamini, dum venio. Mercatorem lucri cupidum imitare, qui in fine cujusq; die rationes subducit suæ negotiacionis, & an majora sint lucra, quam damna, considerat; Idecirco malè, aut tepidè vivimus, quia

hac regula quotidie non utimur ad corrigendum actuum nostrorum obliquitatem. Examen Cōscientiæ Regulam vocat Hugo Victorinus. *Lib. I. de prud.*

Præterea ea, quæ de discussione conscientiæ ante prandium dicta sunt, hæc pauca adde.

Tria ad peccati emendationē requiruntur. 1. Peccati cognitio. 2. Ejusdem detestatio. 3. Et per virtutem peccato contraria, correctio. Tria hæc adjuventa, optimè præbet conscientiæ discussio vespertina.

Quomodo enim quis delicta sua agnoscat, & quotidianos defectus corriget, qui nunquam, aut raro sua interiora scrutatur, qui se non discutit, qui post terga sua peccata proiicit? Initium salutis est peccati cognitio.

Ex

Ex cognitione peccati odium
 & detestatio consequitur. Post-
 quam ostendisti mihi, percussi
 fœmur meum *Ierem. c. 31. v. 19.*
 Et D. Gregorius de Mariæ Ma-
 gdalenæ pœnitentia *Homil 13 in*
Evang. quia turpitudinis suæ
 maculas aspexit, lavanda ad fon-
 tem misericordiarum concurrit.
 Hinc verò fit, ut mala grama
 peccatorum non agant imas radi-
 ces in anima, quia vespertina di-
 scussio paulatim impedit humo-
 rem malæ consuetudinis, ne in
 radices defectuum nostrorum in-
 fluat.

Sequitur tandem emendatio, in
 hunc enim finem scrutinium cõ-
 scientiæ dirigî debet ; quia sicut
 artifex studiosus ex frequenti &
 acurata inspectione sui operis il-
 lud ipsum emendat & ad perfe-
 ctio-

Etionem juxta artis præscriptum
reducere conatur, sic & tu ex eo-
dem planè studio spiritualiter
proficiendi conscientiam tuam e-
xaminabis. In eo defectu corri-
gendo, ad quem te procliviorē
agnoscis, eò usq; insiste, quousq;
de illo victoriam reportaveris.
Si omni anno unum tantūm viti-
um extirparemus, citò perfecti
viri efficeremur, inquit Thomas
à Kempis.

Si autem à me quæras, quænam-
sint illa, quæ adducenda sunt ad
hoc judicium? Breviter respon-
deo, bona & mala omnia, quæ eo
die egeris, vel cogitāris, vel lo-
cutes fueris.

Nomine bonorum operū ve-
niunt primo loco functiones quo-
tid anæ tuo muneri congruentes,
quæ etsi sanctæ & bonæ operati-
ones

ones sunt, si illas examinaturus
 & judicaturus est Deus: Ego,
 cum accepero tempus, iusticias
 judicabo *Psal. 74. v. 3.* Cur &
 tu illas prius non examinas, non
 emendas, non expolis; ne inven-
 iat Deus, quod corrigat & re-
 prehendat.

Vulgatum est illud axioma:
 Bonum ex integra causa, malum
 autem ex singulis defectibus. Nō
 sufficit, ut res quæ sit, bona &
 sancta sit, sed ut benè, & sanctè
 fiat, requiritur. Multis in extremo
 judicio Deus dicturus est illa *I-*
saïe cap. 1. v. 22. Argentum tu-
 um ver sum est in scoriam, & vi-
 num tuum mixtum est aquâ. Nō
 dicit ferrum vel plumbum tuum,
 sed argentum, quod auro exce-
 pto cæteris metallis pretiosius
 est, quia functiones nostræ et si

sacræ, & sanctæ, quia multa ope-
ra nostra, quæ nobis bona pretio-
sa videntur, in lance tamen su-
premi & æquissimi judicis posita,
non ut talia probabuntur: vel ex
pravitate intentionis nostræ, aut
obliquitate, vel ex negligentia,
aut irreverentia, vel ex alio de-
fectu. Propterea Iob, etsi san-
ctissimus vir. Verebar, inquit c.
9. v. 28. omnia opera mea, sci-
ens quia non parceres delinuen-
ti. D quoq; Paulus I. Corinth.
cap. 4. v. 3. Mihi pro minimo
est, ut à vobis judicer, aut ab hu-
mano die, qui autem me judicat,
Dominus est.

Bona etiam, vel neglecta, vel
omissa sub hac censura quotidiana
venire debent. Multi com-
putant pecunias & expensas re-
rum, pauci conscientiæ negli-
gen-

„gentias temporum discutiunt;
 „ideoq; magis deficiunt, quam
 „proficiunt, loquuntur bona &
 „non faciunt, detestantur mala
 „in alijs, seipso autem negligi-
 „gunt in multis, ait Thomas à
 Kempis.

Verum si bona opera discuti-
 enda sunt, multò magis peccata,
 ut de illis, dum tempus habes
 misericordiam à piissimo Domi-
 no impetrare valeas. Sed jam o-
 „mnia concludat D. Bernardus
 „*Ad so. de monte Dei.* Discito
 „tibi præesse, & vitam ordinare,
 „mores componere, temetipsum
 „apud temetipsum accusare, sæ-
 „pè etiam condemnare, nec im-
 „punitum dimittere. Sedeat ju-
 „dicans, justitia stet rea, & te-
 „metipsum accusans conscientia,
 „nemo te plūs diligit, nemo fi-

„delliūs iudicabit. Manē præte-
 „ritæ noctis fac à temetipso exa-
 „ctionem & venturæ diei tu ti-
 „bi indicito canonem. Vespe-
 „præteritæ diei rationem exige,
 „& supervenientis noctis fac in-
 „ditionem, sic districto nunquā
 „aliunde lascivire vacabit. Sic
 ille.

REGULA XXII.

*Nocturna quies, sive dormitio
 Clerici sacerdotalis sit in lecto non
 nimis exquisitè composiō, & adeò
 molli, sed honesto, ut in eo tan-
 tūm corpus quiescat, non delicie-
 tur.*

Sed jam hora est, ut receptui
 canamus, & te ad somnum ca-
 piendum pares. Hic quoq; duo
 tibi paranda erunt, ut hæc actio
 meritoriè fiat. Aliqua antequam
 te lecto tradas, aliqua inter dor-
 mi-

miendum & quiescendum. **Quæ**
pares, antequam cubes in lecto,
sunt.

Ne delicias in lectulo quæras,
non sit pretiosus, nec nimis ex-
quisitè compositus, nec ita mol-
lis, qui te diutiùs in se detineat;
sit talis, ut in eo quiescat corpus,
non autem delicietur. Sit lectus,
inquit Thomas à Kempis. **Exerc.**
Spirit. cap. II. veluti sepulchrū,
in quo quieturus es modicum,
paulò pōst iterum surrecturus ad
vigilias, & laudes Dei celebra-
das.

Pia aliqua oratione te ipsum
præmunies, vel erga Angelū Cu-
stodem, vel Beatissimam Virginē,
vel alios Sanctos, ut te ab omni-
bus animæ & corporis periculis
liberent, & ab omni dœmonis il-
lusione custodiant, serva illud

quoq; D. Bernardi *Ad fo. de mo-*
te Dei. Iturus ad somnum sem-
 per aliquid defert ecum in me-
 moria vel cogitatione, in quo
 placidè obdormias, quod nonnū-
 quam somniare juvet, quod etiā
 vigilantem te excipiens, in sta-
 tum hesternæ intentionis restitu-
 at. Sic tibi nox sicut dies illu-
 minabitur, & nox illuminatio
 tua erit in delicijs. Etsi aliud
 tibi tunc tēporis non suppetat,
 memoriaz manda capita medita-
 tionis, quæ parāsti pro crastina
 die, facile tunc redibis ad id un-
 de existi, in Domino quievisti,
 in Domino pariter excitaberis.
Quantò p̄paratiōr transis dor-
 mitum, tantò expeditior eris ad
 surgendum. ait Thomas à Kem-
 pis.

Inter dormiendum nuditatem

vitabis omnino, est enim pudicitia, quæ in Sacerdote præser-
 tim elucere debet, infensissimus
 hostis; Esto nemo te conspiciat,
 tamen te ipsum revereri debes,
 non versamur in statu innocetia
 sed post lapsū, in quo nuditas
 turpitudinis vestigium est; pro-
 pterea primi parentes nostri post
 peccatum erubuerunt & operu-
 erant. Et aperti sunt oculi eo-
 rum, & cum cognovissent, se es-
 se nudos, consuerunt sibi fo-
 lia vicus, & fecerunt sibi perizo-
 mata *Gen. cap. 3. v. 6.* Hanc
 ob causam multi probi Sacerdo-
 tes, studiosi castitatis mandave-
 runt, ne corpora sua, postquam
 ex hac vita excesserint, nuda-
 rentur, ac lavarentur.

Displacet etiam hæc nocturna
 nuditas Angelis Custodibus; il-

Iam aversantur, & horrent. Hinc
D. Bernardus *Serm. 12. in Psal.*
Qui habitat. In quovis diverso-
rio, in quovis angulo, Angelus
tuo reverentiam habe; tunc au-
deas illo præsente, quod vidente
me non auderes? an præsentem
esse dubitas, quem non vides?

Si caro titillat, si tetra imago
incidit, si quævis alia passio mo-
vet, nec quiescere te finit, ad o-
rationem convertere, signum Cru-
cis tibi imprime, flagellum, coro-
nam spineam, lanceam, ac totam
armaturam Crucifixi oppone, an-
te cujus virtutem non potest ho-
stis stare malignus, nec tentatio-
nis illusio perdurare. Sic te mo-
net Thomas à Kempis, pius, ac
devotus Pater.

Eas horas somno dabis, quæ
sufficiant tantum pro resumen-
dis

dis viribus habita ratione tui statūs & valetudinis. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. *Proverb, cap. 20. v. 13.* ait Sapientis. Vigilantia & labor, teste D. Paulo, Sacerdotis propria munera. Tu verò vigila, in omnibus labora. *2, Timoth, 4. v. 5.* Porrò vigilancia duplex est mentis & corporis, & qui se vigilare in corpore dormiente putat, se ipsum decipit.

Sed quorsum hæc omnia? nisi ut illa exerceas, & in usum inducas, si libet. Nam ex doctrina „Richardi à S. Victore *Lib. de Iud. cap. 38.* Virtutum modum „& formam solum per intelligē- „tiam & doctrinam depingere & „memoria retinere, earumq; affe- „ctu carere, quid aliud est, quam „quædam simulachra corde ge-

„stare? scientia bona sine sancti-
 „tatis effectu & bonitatis affe-
 „ctu, quid aliud est, quam simu-
 „lachrum vanum sine motu &
 „sensu? Aristoteles ipse hoc i-
 „dem sensit *Lib. Ethic. cap. 4.*
 „In agendis rebus finis non est
 „contemplari singula & cogno-
 „scere sed agere. Neq; igitur
 in virtute satis est, si eam co-
 gnoverimus, sed ut eā habeamus,
 eāque utamur enitendum est, vel
 si quo alio modo boni efficimur.

Hoc autem sane assequeris, si
 illud Thomæ à Kempis *Exerc.
spirit. cap. II.* diligenter servave-
 ris, cuius sane aurea sunt loco
 „coronidis. Omnia exercitia
 „spiritualia dirigenda sunt, ut
 „passiones vincantur, ut propria
 „voluntas mortificetur, ut mun-
 „dus contemnatur, ut Deus di-

„ligatur, ut caro refrænetur, &
 „spiritus ad cœlestia elevetur,
 „ut omnibus affectionibus miti-
 „gatis puritas cordis, & tran-
 „quilla mens possideatur. Mo-
 „dicum laborabis, magnam re-
 „quiem invenies. Breve est tē-
 „pus peregrinationis nostræ, sed
 „præmium nostrum erit gau-
 „dium sine fine. Multi majora
 „tolerant pro mundo, quam nos
 „pro Deo. Multi duriora
 „patiuntur, & utilius a-
 „gunt pro inferno,
 „quam nos pro
 „cœlesti Re-
 gno.



E P I L O G U S

*Ad D. PETRVM Apostolorum
Principem, & Cleri Secularis
Patrem & Patronum.*

O Beatissime PETRE, Cleri Secularis Pater & Patrone Clementissime, qui de rudi Galilææ terra juxta ejus mare de piscium ad hominum pescaturam vocatus, mox relictis omnibus JESUM Christum Magistrum sectatus es, ac numero Collegij Apostolici aggregatus inter duodecim primas tulisti, quique non sanguine & carne, sed Patre cœlesti revelate professus es, Christum Filium Dei vivi, undè Claviger Cœli factus, & tibi, tuisq; Successoribus potestas solvendi & ligandi tradita est, & cum alijs duobus Discipulis Ioanne &

Ia-

Iacobo mirabilem in monte Thabor Transfigurationis visionem
 aspicere meruisti, & præ gaudij
 excessu dixisti: Domine bonum
 est n s h̄c esse faciamus tria ta-
 bernacula, qui præ humilitate pe-
 des à Magistro tuo lavari renui-
 sti, sed audiens, te in Magistro
 tuo nullam h̄biturum partem,
 protinus non solum pedes, sed &
 caput & manus lavandos obtuli-
 sti, ac in Cœna Domini ejus sa-
 cratissimum & vivificum Corpus
 & Sanguinem sub speciebus pa-
 nis & vini summâ reverentiâ cum
 cæteris sumpsisti, finitôque Ma-
 gistri tui sermone in morte cum
 eo ire nîmum tibi præfidēdo in-
 trepidus promisisti, eumq; pro te
 rogantem Patrem cœlestem, ne
 deficiat fides tua, ad montem o-
 liveti comitatus es, ubi Magistro
 tuo

tuo orante ac sauguinem sudante obdormiscens, veniēte Judeorum turbā excitatus ē somno Pōtificis servo auriculam gladio abscedisti, eāq; à Christo Magistro tuo persanatā & audita ejus increpatione fugam cum alijs contremiscens arripuisti, & à longè sequendo in atrio Caiphæ ad ignem te calefaciens totus frigidus ab imbelli superatus ancillā trinā negatione ostendisti dilectissimum Magistrum Dominum Deum tuum, at subito recordatus, gallo ter cantante verbi Magistri tui, benignissimis ejus oculis aspectus, amarè flere, ac ternā confessione dignos poenitentiæ fructus agere coepisti, ac tandem disseminato Dei Evangelio Romæ deorsum capite Crucifixus vitam cum sanguine IESU

Chri-

Christo Magistro tuo immolare
voluisti. Rogamus igitur Te
Sanctissime P E T R E, Pater ac
Patrone suavissime per omnes tu-
as prærogativas ac privilegia, ut
pro nobis filijs tuis Petrinis apud
Magistrum tuum, qui te post re-
surrectionem suam præ cæteris
gloriosa apparitione consulatus
est, intercedere digneris, ne de-
ficiat fides nostra, sed precibus
tuis roboretur, nosq; tota hujus
mortalis vita nocte laborantes,
nihil viribus nostris capientes, in
nomine autem Christi retia la-
xantes, ingentem animarū mul-
titudinem de profundo pericu-
losi maris extrahamus, & zelosi
pastores oves nostras concredi-
tas divini verbi fervida prædi-
catione ac exemplari vita fovea-
mus, aberrantes, allicientes ad ve-
rum.

rum ovile a ducamus, è fluctibus, ne mergamur, erigi ac in portum salutis deduci, & tandem omnes filij tui Petrini cum omni grege nostro una tecum in cœlesti monte Thabor tuum ac nostrū Redemptorem transfiguratū aspicere ac beatifica visione æternū perfrui mereamur. Per eundem IESUM Christum Magistrum tuum ac Dominum nostrum, Amen.

Et quicunq; hanc Regulam secuti fuerint, Pax super illos, & misericordia, & super Isræl Dei. *Ad Galat. cap. 6. v. 16.*

Omnia ad majorem DEI, DEI-Paræ Virginis MARIÆ, nec non D. PE. TRI Apóstolorum Principis, & Cleri Sæcularis Patroni honorem & gloriam.



FLO-

FLORES SELECTI
 Ex Viridario Vitæ & Doctr:
 IESU CHRISTI,
*Meditationes S. P. NICOLAI
 AVANCINI Soc: IESU, ex-
 cerpti in odorem suavitatis
 Venerabili Clero Seculari
 dicati &c.*

AMa puritatem animæ & cor-
 poris maiorem quam ante-
 hac.

Vide ut Spiritus Sanctus solus
 in anima tua operetur, non sen-
 sus.

Beatissima MARIA Virginitate
 concepit, humilitate vero me-
 ruit esse Mater Dei.

Humilitas est modus, quo
 Deum ad te trahis, si te depri-
 mis, sicut eum pellis, si te ele-
 vas.

Di-

Dives es, si Deo unias.

Disce alienos defectus apud te
excusare, & apud alios tegere.

Sala magnitudo vera est, quæ
coram Deo est.

Vir unus zelosus, si comparet
in populo multa bona præstat.

Amor omnia dulcorat.

Disce Superiorem tuum Iocō
Dei habere, etiam in durioribus
imperijs.

Disce gaudere de bonis alio-
rum.

Deus non invenitur, nisi in hu-
militate & contemptu terreno-
rum..

Ubi terrena abjeceris solatia,
aderunt cœlestia.

Quantō majorem tui curam
gefferis, tanto majorem geret
Deus.

Pax datur hominibus bonæ vo-
luntatis.

Sal-

Salvator tuus non salvabit te,
sine te.

Experientiâ discitur virtus.

Ubi de voluntate Dei constat,
pone affectum.

Offendetur proximus? sed
Deus jubet.

Insigne amoris argumentū est,
pro eo pati quem amas.

Discam libenter confundi, nec
quæram alius videri, quam sim.

Frustra est gratia, ubi non est
cooperatio.

Disce non differre, dum lu-
men habes.

Rumpè vincula terrenorum af-
fectuum.

Unica inordinata passio, pacem
animi turbat.

Non sinas passionem ullam do-
minari, etiam te dementabit.

Non serio vult, qui lente vult.

Deus

Deus solum estimat ex quanto affectu, non quantum dones.

Cum offers munus tuum Deo,
affectum procura,

Nihil frustra Deo dabis, quod plus dederis, plus accipies, dabis vilia, accipies pretiosa.

Faciant te propria pericula cautum.

Noli redire eum, ubi expertus es te deliquisse, vitata occasione vitabis periculum.

Disce sancte latere, & solitudinem amare, te plebi potius communicare, quam inditis.

Elige contemptum ad maiorem Christi imitationem.

Humilitas est descensus ad utilitatem.

Expende vilitatem tuam, & deprime cor tuum.

Ex necessitate tibi convenit hu-

humiliari, quia re ipsa vilis es.

Confundere vilis homo, dum
pro te Deus factus est vilis.

Disce tua non jactare, & gra-
tias occultare.

Disce in superiore Deū agno-
scere.

Innocenter pati, patientia &
Sanctorum, reorum pro culpa.

Si amas Deum operibus proba
primum in te, deinde in alijs
gloriam ejus promove.

Perfecta obedientia plus pera-
git, quam tenetur.

Gratiora sunt obsequia Deo,
quæ citrā deletum ei exhibentur,
quam quæ cum debito praſtan-
tur.

Si amare te debes, ut genoro-
sè tuos sensus & passiones expu-
gnes, humilia dura & aspera ap-
prehendas, quia hæc est voluntas
Dei.

Vir-

Virtus non consistit in dictis,
sed in factis.

Quò plus tu ipse honori tuo
studes, minius eum Deus procu-
rabit.

Quò tu magis Dei fueris, De-
us erit magis tuus.

Disce ad conservandam animæ
puritatem minimos defectus cu-
rare, ne per hos viam majoribus
aperias & paulatim decidias.

Qui timet Dominum, nihil ne-
glijit.

Expetam Dominum grandi fi-
ducia & constanter.

Ad Deum quidem pervenitur
desiderijs, sed non tenetur, nisi
operibus.

Amati injuria, est amantis tor-
mentum.

Crescit virtus, cùm adversis
probatur.

Sine

Sine te à Deo gubernari, &
nullum incurres periculum.

Disce partus virtutum tuarum
celare.

Disce tui laudes non promere,
promere alienas.

Deus omnia nos habere voluit
per Mariam.

Non meretur virtutis nomen,
quam non comitatur perseveran-
tia.

Sola apud Deum coronatur
perseverantia.

Vero zelo nulla anima est vi-
lis.

Sis potius cœcus in aliorum
factis, quam suspicioſo oculo vi-
deas.

Non potest bonum esse, quod
dictat passio.

Ira nihil sanum suadet.

Rumpenda est quies, ubi De-
us vocat.

Di-

Disce compati aliorum malis.

Disce malis ad bonos tibi salvatores, & Deo gloriosos fines uti.

Optimæ conscientiæ etiam in securitate timent, ne perdant Deum.

Nimis parcè cum Deo agit, qui nihil agit, nisi ad quod tenetur.

Timenti Deum nihil eveniet mali.

Nihil est vile, quod Dei imitatione agitur; sit honor tuus vilia agere.

Nemo sibi in rebus animæ satiis est sapiens.

Virtus semper habet Deum Patronum.

Infirnum innocentia tua argumentum est alterius culpa.

Incipere necessarium est, sed progrede laudabile.

Ani-

Animus qui terrena sapit, non
percipit, quod Deus aestimat.

Noli animo deiisci, si invidiam
patiaris.

Noli invidere, ne crucieris.

Invidia nihil rectum videt, e-
tiam pia & sancta improbat.

Si alius plausum & accussum
habet, tu non invide.

Probatio amoris est passio.

Beatus non est qui multa scit,
sed qui facit quæ scit.

Plurima de Deo cogita quam
loquaris.

Magis esto sollicitus, ut pecca-
tum fugias, quam crucem & af-
flictionem.

Disce non admittere spiritua-
libus exercitijs impedimenta.

Vix ullum terrent absentia
mala, præsentia etiam fortes
frangunt.

L

Qui

Qui fibi prævidit multa ja-
ctat, pauca præstat, in gravia
incidit.

Tentatus non ad creaturas,
sed ad Deum diverte.

Disce non tantum esse cum
Christo in monte Thabor.

Sed etiam in agonia in monte
oliveti.

- Lenimen dolori accedit, si re-
veletur amico.

Disce inclinationem naturalis
appetitus ratione corrigere.

Opera charitatis nobilia
sunt, quam pietatis.

Disce in omnibus te divinæ
voluntati commendare.

Nemo tibi fidat, sed cum ti-
more & tremore quisq; salutem
suam operetur.

Patientia coacta non est filio-
rum Dei.

Ad

Ad ardua qui non procedit,
etiam venientia fugit.

Zelus charitati est jungendus,
ne ira fiat vel vindicta.

Frustra te verbis excusas, ubi
facta te accusant.

Consentit impijs, qui cum il-
lis in consilium vadit.

Argumentū pravitatis est, vel-
le magnum videri.

Constantia & veritas semper
idem loquitur.

Gravissima innocentiae defen-
sio est silentium, ubi vita loqui-
tur.

Fuge magnorum gratiam, &
miraculum edidisti.

Frustra is lavat manus, qui cor
inquinavit.

Duris amorem proba.

Elige prudenter, tene constan-
ter.

Omnis perfectionis initium est
desiderium.

Ut gustes Deū, recede à stre-
pitū mundi.

Qui semel cedit passioni
semper fortiorē experitur.

Intentio mala optima opera
depravat.

Non qui cœpit, sed qui per-
fecit prœmīum capit.

Disce Spiritū majorem habe-
re curam, quam corporis.

In superbos & obstinatos rārē
cadit bonus affectus.

Sine mortificatione nulla vir-
tus est solida.

Ibi est IESUS, ubi nihil
tui est.



MO-

MONITIONES
 S. CAROLI BOR-
 ROMÆI
 AD CLERICOS,
 IN CONCILIO PROVINC:
 MEDIOL: CONST:

Rimò, Fratres, & Filij in Christo Charissimi, me-
 mores perpetuò estote vocationis, quia vos dignatus est Dominus noster.

Quâ assiduâ recordatione memoriâque excitati eam vos virtutem induite, ut videant alij, qua-
 si lumen aliquod vestram sanctitatem elucere. Quæ si magna in alijs vitæ Christianæ institutis re-
 quiritur, certè in vobis qui my-
 steriorum Dei ministri, divinæq;
 gratiæ dispensatores estis, major
 inesse debet. L 3 Et

Et sicut sacro ordine à reliquis
hominibus sejuncti estis, ita à cō-
muniſ fideliū vitæ usu sejuncti,
præcipuum quoddam, atq; hoc
præstantius vivendi genus sequi-
mini, quo Ordinis dignitate præ-
cellitis.

Cœlestem in terris vitam, tan-
quam Angeli Dei, moribus ve-
stris exprimere usq; adeò stude-
te, ut à vobis divinarum virtutū
exempla ad cæteros emanēt.

Unâ animi consensione, unōq;
spiritu in ijs elaborate, ut & di-
vino cultui, & cœlestium rerum
meditationibus, & orationi, &
sacrarum Ecclesiasticarumq; lit-
terarum studijs vacetis : tūm de-
positis sœcularibus, vanisq; soli-
citudinibus ab omni vitio alieni
in via Domini rectè ambuletis.

Charitatem imprimis, quæ se-
mi-

minarium est omnium virtutum,
omni studio amplectimini.

Humilitatem, Mansuetudinem,
Patientiam, Justitiam, Temperan-
tiam, Officiaq; Christianæ pietas
reliqua colite. Quæcunq; de-
niq; sunt vera, quæcunq; pudica,
quæcunq; sancta ac religiosa, ea
cogitate, ea agite.

Virtutes Sanctorum Patrum,
quas præcipuas, & quasi hæredi-
tarias nobis ad imitationem reli-
querunt, non adumbrare solum;
sed omniq; exprimere certatim
contendite.

Utq; illi, sic vos, abstinentiæ,
& jejunijs dediti, Clericalis di-
sciplinæ, ac vitæ castissimæ stu-
diosi, tum patriæ cœlestis siti-
entes, Deo servite assiduis divi-
narum laudum officijs, & in Ec-
clesia, quasi in perpetua vestra Sa-

cerdotali, Clericaliq; statione,
continenter versamini.

Quæcunq; demum de muneriis
vestri partibus, & de vitæ moda,
vel Pontificum sanctionibus, vel
Oecumenicis Concilijs, vel Pro-
vincialibus, Diœcesanisq; Syno-
dis, vel alia ratione præscripta
sunt, ea vos servate, ac præstate
diligenter.

Omnes, qui Canonicarum ho-
rarum officijs devincti estis, statas
eas preces horarias recitate ad
præscriptam Calendarij anniver-
sarij rationem, ac ritum.

Nec verè negligenter; sed at-
tentè, piè, devote, supplicique
mente illas dicite.

Studiose propterea legite, quæ
præsertim à B. Antonio Archie-
piscopo præscripta sunt de negli-
gentia in persolvendis horis Ca-

nonicis, ut quæ eo nomine errata sunt, omnino cœveatis.

Expletis Canonicarum horarū Officijs, si quid in illis, aut negligentia, aut aliâ culpâ commiseritis, paululum colligentes vos, veniam à Deo petite.

Qui Sacerdotes estis, Missæ sacrificium sæpius facite, sanctè ac religiosè.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti Mysterij meditatione toto animo desixi; & ut purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tum singulis saltem hebdomadis, atq; adeo sæpius, & omnino semper, cùm peccati mortalis conscij estis, uni è confessarijs Sacerdotibus, ad Cleri confessiones audiendas cōstituto, confiteamini. L 5 In

In ea sanctissimi Sacrificij acti-
one ab erroribus, vel levissimis,
omnino cavete.

Quæ de illo piè; ritèq; cele-
brando præscripta sunt, ea vos
studiosè, diligenterq; servate.

Diaconi, Subdiaconi, & Cle-
ri ci inferiorum Ordinū, quicum-
que estis, quæ de confitendis sæ-
pè peccatis, de communione fre-
quenter sumenda vobis jussa sunt,
integre & sancte omnia, ut debe-
tis, præstare.

Confessarios sacerdotes, per
nos vobis constitutos, quos etiā
tanquam vitæ vestræ duces, ac
magistros elegimus, adite.

Ecclesiasticæ militiæ omnes
vos adscripti estis; ideo ad pie-
tatis, religionisq; exercitationes
vos vocatos esse cognoscite.

In omni imprimis sancta ora-
tio-

tione vos assiduè exercete ; tum
in meditationis tacitæq; piæ o-
rationis studio singulis diebus,
certo temporis spatio, toto ca-
stissimi animi sensu, incumbite.

Hæc sanctis precibus, præter
cætera, supplices, præsertim af-
flictis rei Christianæ tempori-
bus, orate Patrem misericordia-
rum, & Deum totius consolati-
onis.

Ut misereatur populi sui.

Ut fidelium animos, ad vitia
fugienda, ad virtutesq; amplecte-
das Sancti Spiritus sui ardore
inflammet.

Ut è Principum, Regumq; a-
nimis evellantur, si quæ sunt, di-
scordiæ semina.

Ut iij unà animi confessione
Christi regnum propagare stude-
ant, unamque Dei gloriam, atque

Ecclesiæ matris defensionem propositam habeant.

Quidquid verò tēporis à Divinis officijs, ab orationis, contēplationisq; exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, & ab alijs necessarijs actionibus vacuū habetis, non in otio, neq; in desidia, nec verò in rerum novarū curiositatibus illud conterite, sed cum in fortē Domini vocati sitis, in ejus lege nocte, ac die meditemini.

Sacrarum igitur litterarū studia diligentius colite, quæ usq; adeo compleeti debetis, ut qui aspernetur, cōtra eum dicat Dominus. *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mibi.* Oſea 4. 6.

Frequēter ad statas lectiones, & ad litterarū tractationes vobis

bis præscriptas convenite

Attento animo in ijs ad eſte,
atq; indies ad uberiorem sacro-
rum ſtudiorum fructum, pro-
gredionem aliquam habete, ut ad
Epifcopum aliquando vocati,
& diligentia, & doctrina teſti-
monium detis.

Si qui eſtis, qui vel tarditate
ingenij, vel ingraueſcente ætate,
magnum in literis progreſſum
habere non potestis, ne deſiſtite
tamen primū oratione frequē-
ti intelligentiam vobis neceſſariā
a Deo petere, tum eò diligentius
ad pietatis, modeſtiæq; ſtudium,
ac sanctorū morum diſciplinam
incumbite; tum ſapienter Sacerdo-
tes peritiores consulite; & ad
Clericales Sacerdotialesq; exerci-
tationes convenite, & libentius,
& frequentius.

Con-

Concionibus etiam, atq; lecti-
onibus sacris, quæ in Ecclesia
constitutis diebus habenter, o-
mnes, quicunq; estis, tum maxi-
mè vos, quibus potissimum Con-
ciliaribus decretis iussum est, quo
decet habitu, frequentissimi a-
deste.

Lectione librorum Spiritualium,
& Clericalium, qui probati sunt,
animos, mentesq; vestras pascite.

Quatuor præsertim locos, ex
Catechismi Romani doctrina, de
duodecim fidei articulis, de se-
ptem Sacramentis, de decem De-
calogi præceptis, de oratione
Dominica, in promptu, atq; ex-
plicate habere, omni studio con-
tendite.

Cum ijs, & præceptorum Ec-
clesiæ cognitionem, & preces ho-
rarias recitandi peritiam, & Ec-
cle-

clesiaisticorum rituum, ceremoniarumq; notitiam conjungite.

Paululos libros, quorū necessarius delectus vobis, decretis, vel Provincialibus, vel Diœcesanis præscriptum est, habere non omittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque studiorum ratione plures habere possunt, eorum optamus, & laudamus in ijs comparandis diligētiam.

At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscenis, inanibus, ad pōēsisq; profanæ studium pertinentibus; vulgari, aut latino sermone conscriptos, procul abijc̄te.

Nec verò musicas cantiones ridiculosè, voluptuosè, parumq; pudicè exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex sacris Bi-bli-

blijs legite, ac, si per Ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex Sanctorum Patrum opusculis, Gregorij Magni Pontificis, Cypriani, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, & aliorum qui sanctitatis & doctrinæ laude in Ecclesia celebrantur.

In ijs ad legendum Sanctissimum Patrem Ambrofium Episcopum vobis potissimum proponite.

Illius præcipue librum de Sacerdotali dignitate legite; quo libro Ecclesiasticos homines commonuit de perfectæ vitæ institutione.

Libros item officiorum, quos, ubi primum Episcopus is factus est, Cleri Mediolanensis potissimum causâ edidit, in manibus assiduis habete.

Hos,

Hos, atque alios præterea li-
bros de Sacerdotalis, Clericalisq;
vitæ rationibus, & officijs, de a-
nimarū cura, de Christianæ pie-
tatis studijs & exercitationibus,
deque alijs ejusdem generis piè
confectos ita legite, ut quæcunq;
ad vitæ sanctæ normam accēmo-
data ex illis animadvertis, &
dedicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item Provincia-
lium, & Diœcesanorum Consti-
tutiones, & decreta non percur-
rite solum; sed usq; adeo studio-
sè legite, ut, quæ legeritis, post
etiam taciti vobiscum aliquando
mente reputetis, ac videatis si-
mul non solum, si quidquam est,
quod contra illorum præscriptū
egeritis, verū si quid etiam a-
liud est, quod ex eisdem exequi,
præstareve omiseritis, aut negle-

xeritis. Quod ut præstetis, cu-
rate omnino, atq; efficite.

Estis, divinâ misericordiâ in
Ecclesiastico ordine constituti,
ad gloriam Dei conservandam,
propagandamque ; ideo tum or-
dinis vestri ministerium, quod
explere debetis, videte ; tum il-
lius dignitatem, ac decorem ser-
vate.

In incessu, statu, gestu ita vo-
s præbete, ut ab Ordinis, quem su-
scipistis, nomine, & ratione, nul-
lo sanè modo, discrepetis, pro-
posito vobis Beati Patris Ambro-
sij judicio, qui Clero adscribi
hominem recusavit, propterea,
quod ejus gestus & incessus de-
ceret.

Habitu non exquisito, non de-
licato nimis, non ferico, ne or-
nato quidem : rursus non sordi-
do,

do, non neglecto, sed gravi, & talari, atq; ejusmodi tum domi, tum fortis, pro uniuscujusq; vestrum Ordinis, gradusq; ratione utimini, ut à decretis eo de genere editis, nulla in re vel minimâ discedatis.

Coronam, quod insigne est ordinis Clericalis, pro ratione Ordinis, quo vos singuli iniciati estis, latam & conspicuam ferte.

Parcâ, & frugali mensâ contēti sitis, & supellecili etiam modestâ, ac tenui potius.

Ab omni splendido apparatu, pompaq; sacerulari abstinetе.

Quæcunq; acu pieta, varie extexta, aulæa item, peristromata rejicite.

Imagines domi non profanas, sed eas habete, quæ pietatis, ac religionis argumentū, & adjumentum præbeant.

In

In omni vita à fastu, luxu, ambitu, ambitione, & à vanitate longè refugite.

Nec verbis quidem præscriptum vitæ modum pervertite.

Nihil scurriliter, nihil jocosè, nihil indecorè, nihil turpiter loquamini.

Absint à vobis maledicta, obrectationes, curiositas, levitas, afflentationes, ac nugæ.

Temperantia Clericalis disciplinam vobis præscriptam in reliquis etiam omnino tenete.

Commesstiones, compotationes, convivia publica, laicaliae, tum maximè ea, in quibus mulieres intersunt, evitare.

Hospites excipite: at illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete, ita ut Clericalis frugalitatis non sumptuosi con-

vivij, testes illos habeatis.

A ludis, spectaculis, circumla-
torumque, atq; id genus vilium
hominum præstigijs procul esto-
te.

Arma abiycite.

Sic deniq; cor vestrum corro-
borate, ut id inania spectacula
non appetat, & à mundi ludis,
atq; ineptijs abhorreat.

Sensus autem vestros ita diri-
gite, ut cùm à Deo utiliter dati
sint, tanquam rationis ministri,
ne eos perperam adhibeatis, sicut
satellites cupiditatum.

Sit igitur vester oculorū aspe-
ctus simplex, & pudicus.

Aurium sensus castus, & pru-
dens, casta mens, casti omnes
sensus.

Vitæ & morū consuetudo ca-
sta & spiritualis.

Ad

Ad eorum Sacerdotum, qui in
eiusmodi vitæ studijs, ac disciplina
exercitati sunt, familiaritatem
vos adjungite, ex qua vobis
vestræ ad sanctè agendum pro-
gressiones constent.

Ad castitatem autem conser-
vandam, munite omnem viam.

Legite propterea sàpè illum B.
Cypriani Martyris de singulari-
tate Clericorum librum, qui vos
in hac, ut in alijs instruet vir-
tutibus.

Suspectarum autem mulierum
consortium omnino vitate.

Cum alijs verò quibusvis mu-
lieribus, quamvis vel arctissimo
consanguinitatis, vel affinitatis
vinculo vobis illæ cōjunctæ sint,
ne in ijsdem domicilijs, ædi-
busve simul habitate, nisi cùm
ex causa alicui vestrūm aliquan-
do

do Episcopilibus litteris permis-
sum sit.

In famulatu Laicorum ne sitis,
multò mintis fœminarum, quam-
vis nobilium.

Ne verò illas musicam, litte-
rasve docete, nisi scriptà nomi-
natim facultate ab Episcopo per-
missum cuiquam sit.

Ædes Ecclesiasticas ne laicis
locate, nisi consensu Episcopali.

Ac ne ipsas quidem patrimo-
niales locationi ijs date, quorum
vita moresve suspecti sint.

Sæcularibus verò negotijs, ut
est Sancti Pauli Apostoli docu-
mentum, ne vos implicate.

A cujusvis generis mercaturâ
quæstuosâ, omni negotiatione,
prædiorū conductione, tam alijs,
ut Provinciali decreto vobis in-
terdictum est, prorsus cavete.

Ne

Ne pecuniæ, lucrivé avidi si-
tis, Nemo potest Deo servire; &
mammonæ, aut enim unum odio
habebit, & alterum diligit, aut
unum sustinebit, & alterum con-
temnet, inquit Christus Dominus
Matth. 6. 24.

Si qui pauperes estis, ne cupi-
atis divites fieri, ut ne incidatis
in tentationes multas, & in la-
queum diaboli.

Paupertatem vestram ne mole-
stè ferte. Paupertatem dilexit,
& docuit Cœlestis Magister Chri-
stus, qui nascens in præsepio po-
nitur, & nudus in Cruce mori-
tur.

Scitote paupertati socias ad-
jungi sobrietatem, abstinentiam,
& reliquas virtutes quibus prælu-
cere oportet ministros Dei.

Ne igitur, qui tenuem reddi-
sum

tum habetis, lucrū quārite, nec
quāustum appetendo vos injuriam
vestro ordini facite, avaritiæ for-
dibus volutati.

Non sæculi vos mercatores,
nō māmonæ ministri estis, sed
Christi mercatores: Nolite the-
saurizare vobis thesauros in ter-
ra, sed honorū operum abundan-
tia, cum charitate conjuncta, fa-
cete thesauros in cœlis.

Studete vos lucrari animas
Deo, & cœleste horreum auge-
re.

Exemplo Sanctorum vos pau-
pertate, sobrietate ac parsimo-
nia ita gerite, ut non modo à
supervacanearū rerū usibus absti-
nētes, sed vestro etiā vos defrau-
dantes victu, Ecclesias vestras, &
Altariā exornetis, sarta, tecta ha-
beatis, sacra supellectili instrua-
tis.

M

Ali-

Alienis item necessitatibus subveniatis, & pauperibus opitulemini.

Qui uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias è quarum prædijs fructus percipitis, eò magnificientius, & augustius, quò amplioribus donis, bonisve, augustioriq; liberalitate illæ dota sunt, illustri structurâ, præclaro opere reficite, egregijs muneribus exornate, tum in Ecclesiasticæ supellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis, quibus egentibus, & esurientibus cùm subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis

stis in conspectu Domini.

Memores estote ejus, quod à sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est; sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atq; integritati sua omnia tribuerant, ad pauperes pervenirent.

Vos item alij, quicunq; estis, quorum fidei Christi patrimoniu propriè ad divini cultus, pauperumq; usum commissum est, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapsi, in aliud, quam, cui addictum est, convertatur: ideoq; propterea Sacrilegij rei, damnationem æternam subeat is.

Universi autem vos, & singuli Ecclesiastici ordinis homines, ut summatim complectamur: quæ muneris vestri sunt, vobiscum

frequenter recolite; ministerium
vestrum explere studete; sanctissima
studia religionis, & officij
vestri rebus alijs potiora duci-
te. In rerum divinarum, sacra-
rumq; cognitionem omni curâ
incumbite; quæ divina, quæ sem-
piterna sunt, divitarum, & ho-
norum, & terrenarum rerum co-
gitationibus abjectis, amplecta-
mini, extineto cupiditatem ardo-
re, integros, castosq; vos servate:
mundi voluptates, quæ à divinis
præceptis detorquent, declinate:
prædiorum Ecclesiasticorū, quæ
non avaritiæ præda, sed instru-
menta charitati relicta sunt, redi-
tū, & fructibus non abutimi-
ni; humilitati studete, charitatis
opera præstate, induimini Domi-
num JESUM Christum, sancto-
rumque, ejus facta imitamini, ut

&

& divinis præceptis, institutisq;
confirmati in vocatione, qua vo-
cati estis, dignè Deo ambuletis ;
tum vitæ vestræ splendore laicis
hominibus lumen præferatis ad
vitam sanctè instituendam, tum
vos repositam justitiæ coronam
demum percipiatis.

Omnis præterea & singuli, qui
hujus Ecclesiæ ministerio adscri-
pti aliquo modo estis, & Dioce-
sim, & Ecclesias, quas in ea obti-
netis, quibusque adscripti estis,
stationes vestras, in quibus ma-
nendum vobis sit, putate.

In illis ipsi residete.

Ecclesiasticæ ipsas ædes inha-
bitate, ibiq; domicilium vestrum
verè constituite, & habete.

Debitis muneribus, atq; oneri-
bus satis facite.

Alia item agite, ac præstare ex

præscripta Conciliaribus decre-
tis fructuofæ, salutarisq; residen-
tiæ ratione.

Quicunq; item Clerici mino-
rum Ordinum estis in Ecclesijs,
quibus adscripti estis, singuli Or-
dinis, qui initiati estis, functio-
nes tali pietate obite, ut digni
habeamini, qui deinceps, altio-
rem gradum afferuti sanctæ Dei
Ecclesiæ asserviatis.

Nemo autem vestrūm, quicunq;
estis, si aliqui functioni estis de-
putati, ab Ecclesiastica statione,
personalisq; residentiæ munere
discedat, nisi causis per Episco-
pum probatis, & etiam concessu
litteris expresso.

Hæc, quæ communiter, atque
universim vos moniti estis, sin-
guli servate studiōsè ac diligen-
ter.

At præterea sigillatim, nominatimq; vos, qui Cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, Canonici item tum ejusdem Ecclesie, tum reliquarum quarumvis Ecclesiarum Collegiatarum, vel Urbanarum, vel Diœcesanarum, quicunq; sitis, in omni Canonicalis disciplinæ officio ita agite, ut canonicè, nempe Canonum legibus ad vitæ vestræ iustitutū pertinentibus, & constitutionū Provincialium, Diœcesanarūque rationi congruenter vivatis.

Idq; primò maximè studete, ut in conspectu Dei Omnipotentis puro corde, & casto corpore ministretis.

Tum singuli vos, Ordinis dignitati, aut Canonicatui annexi functiones explete; Canonicalisq; muneris partes præstare; omnes

in Choro statis horis assistite, &
ad Deum pro fidelibus pias, re-
ligiosasq; fundite precationes.

Dum eo loco estis, memorē
estote, adesse Christum IESUM
Dominum, cui servite cum ti-
more, & tremore.

Non pigri, non somnolenti,
non oscitantes adeſtote, non mē-
te vaga, non vagis oculis, non
indecenti corporis statu.

Attentē, studiosē, ritē, piē, re-
ligiosē divinas Laudes celebrate,
& psallite Deo in conspectu ocu-
lorum Angelorum, cantantes in
cordibus vestris Domino.

In Choro nemo privatim, ne-
mo tacitē officium recitet, sed o-
mnes pariter, quicunq; adeſtis,
senes cum junioribus laudate
Nomen Domini in Psalmis, Hy-
mnis & Canticis.

A quibuscunq; colloquijs, & à literarum, librorumq; lectionibus, atq; omni vagatione abstinet.

Pro temporis autem, & officijs ratione sedete, state, genua fletite, caput aperite, & inclinate.

Accuraté demum omnia observate, quæ eo de genere vobis præscripta sunt, ita, ut vestro exemplo alijs Sacerdotibus, Clericisq;, & rectè, riteq; psallendi, & sanctè orandi, & piè agendi animum addatis.

In Psalmorum autem, Cantorum, & Hymnorum intelligētiā studiosè incumbite, ut dum psallitis, pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis, devotionisq; affectum excitetis.

Non ordinariæ distributionis

lucro adducti, sed Dei charitate
religionisq; cultu commoti divi-
nis officijs adeste, ut verè, ex a-
nimōq; psalmi verba illa conci-
natis. *Voluntarie sacrificabo tibi,*
& confitebor nomini tuo Domine,
quoniam bonum est. Psal. 53. 8.

Divnis officijs absolutis, pau-
lulum omnes in Choro piè ora-
te, inde abeundi signo per præ-
fectum dato, consurgentes, quo
ordine ad Chorum accessistis, eq-
dem in Sacristiam redite, ubi
cappas, qui illas induiti estis, &
superpellicea sine strepitu ullo,
vel susurratione deponite.

Canonicales vestros conventus
statis hebdomadæ dieb⁹ capitula-
riter habete.

Omnes, qui debetis, ad illos
convenite.

Inde ne discedite, nisi missio-
ne

ne à Capituli Præfecto impetra-
tâ.

Singuli ordine, & loco sedete.

Sententiam modeste dicite, &
suo quisq; loco, non præpostere.

A verbis scurrilibus abstinete.

In rebus consultandis rixas,
jurgia, & contumelias cavete.

In initio, & fine uniuscujusq;
Capituli statas orationes dicite.

Priori loco tractanda propo-
nите, quæ ad divinum cultum,
ad spiritualis vitæ progressionem,
ad Ecclesiasticam disciplinam tu-
endam, tum quæ ad rerum tem-
poralium gubernationem perti-
nent, ne negligite.

Cætera de hoc genere totò
servate, quæ provincialibus con-
stitutionibus vobis præscripta
sunt.

Omnia imprimis agite pace

mutuâ, concordi voluntate, & charitate fraternâ, vos invicem diligite. Canonici enim estis, qui sicut pro collegij ratione ex antiquo institute unâ in collegiatâ Ecclesiâ, unoq; item in Canonicali domicilio collocati fuistis, ita uno pacis & charitatis fœdere, unaq; animorum confessione conjunctissimi, sicut nascetis Ecclesiæ ministri, quorum erat cor unum & anima una, experiundo vivite: sicut in Psalmo scriptum est: *Quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Psal. 132. I.

Quicunq; verò estis, qui inter Canonicos, Præpositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumvè obtinetis, sicut honore, & dignitate præstatis, ita virtutum exēplis,

vigilantiq; in vestri muneric, cu-
rævé partibus obeundis solicitu-
dine, prælucete.

Parochi, & cæteri, quicunq;
estis etiam Præpositi, Archipre-
sbyteri, alijve, qui animarum cu-
ram geritis, præter ea, quæ vos
cum reliquo Clero communia u-
niversè monuimus, illa etiā, quæ
præcipue de vobis decreta sunt,
præstante omni sollicitudine.

Imprimis oves vobis concredi-
tæ cognoscendæ sunt, & appellan-
dæ nominatim, pascendæ &
custodiendæ item.

Animarum igitur numerum in
Catalogum redigite ad præscri-
ptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui
item confirmantur, & compatrū
etiam, qui adhibentur, nomina
describite.

Matrimonia in codicē referte.
Parochiæ vestræ incolatum,
vitam & mores investigate.

Indagate omni studio, si qui
hæresi cōtaminati sint, aut suspe-
cti : aut qui sint, qui Hæretico-
rum libros habeant, vendant, e-
mant, importent, vel legāt, eosq;
statim denuntiate.

Monete etiam populum, ut id
ipsum etiam præstet, ad nostri
edicti præscriptum, quod tempo-
ribus de more promulgate.

Perquirite de dictis & factis e-
orum, qui ex hæreticorum fini-
bus veniunt.

Dispicite, si qui è Parochiæ
vestræ finibus ad loca profici-
scantur, ubi impunè prædicatur,
quod à Catholica fide alienū est:
tum etiam an iij perfectionis fa-
cilitate impetrata agant, ad præ-
scri-

scriptū decreti in Concilio Provinciali tertio promulgati.

Investigate præterea de ijs, qui in vestra Parochia docent, eoru- demq; mores, vitam, & fidē ob- servate, ac reliqua de ijs ipsis præstate, quæ Consiliis provin- cialibus præscripta, jussave sunt.

Videte, & cavete ne superstitiones, magicæ cætationes, & ejus- modi Diabolicæ superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccato- res, aliorum corruptores, concu- binarios, adulteros, usurarios, blasphemos & hos denuntiate.

Cognoscite etiam alios popu- lorum corruptores, qui festis di- ebus non Deo, sed alijs ludis, choreis, & diabolo serviunt, qui- que festorum dierum cultū quo- vis modo violant, quales quales fint.

sint, neq; observant pontificias,
neq; Provinciales de diebus fe-
stis colendis constitutiones, aut
edicta Episcopalia.

Istos ab ea malè agendi corru-
ptelâ revocare, ac deterrere o-
mni pietatis officio studete, tum
Episcopo etiam sicut opus erit,
significate, ut pro curæ Episco-
palis officio, salutare remedium
afferatur.

Rursus agnoscite etiam paupe-
res, viduas, pupilos, cæterosq;
aliena ope egentes, quibus & sa-
lutari consilio, & consolatione,
& re subvenite, aut si minus re
potestis, cohortatione alios accé-
dite ad eos sublevandos.

Sique illorū gravior inopia de-
poscit, festis etiam diebus à pia
fidelium liberalitate aliquid in Ec-
clesia colligendum curate, uti ab

Epi-

Episcopo præscribetur, quod i-
pis de eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes Pa-
rochiae incolas convenite, quibus
pauperum egestatem proponite,
& ostendite eis divitias à Deo
propterea etiam esse tributas, ut
in opibus succurrant.

Siqui autem potentiorum opi-
bus in causa aliqua oppressi sunt,
illos unicè, atq; intimè eorum pa-
tronicio commendate, qui vel ex
suscepto officio id præstare de-
bent, vel quibus Episcopus hanc
curam dederit.

Pascite imprimis populum vo-
bis commissum prædicatione ver-
bi Dei, salutaribus monitis, ad-
ministratioне Sacramentorum, e-
xemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo pla-
nè observe, quæ Constitutione

Pro-

Provinciali, & alijs concionato-
ribus, & vobis præscripta sunt.

Pueros festis, Dominicisq; di-
ebus in doctrinæ Christianæ ru-
dimentis instruite.

Provectioris ætatis homines
ad eadem intelligenda invite.

Patres matresq; familias mone-
te, ut filios, filias, cæterosq; a-
lios, quos in familia habent, ad
statas doctrinæ Christianæ scho-
las ipsi conducant.

Confratrum, qui in scholis ad-
scripti sunt, operam, ad hoc in-
stitutum adhibete, curateque, ut
mutua inter eos charitatis, mo-
rumq; disciplina conservetur.

Alios etiam ad tam pium opus
amplectendum alacriores reddi-
te, atq; excitate tum assiduis ve-
stris cohortationibus, tum pro-
mulgatione thesauri spiritualis
in-

ato- indulgentiarum, ijs concessi, qui
 at. ijs scholis adscribuntur, in illisq;
 di- operam navant.

Ne omittite diebus festis, inter Missarum solemnia, aliquid ex ijs, quæ in Missa leguntur, fidelibus exponere, & sanctissimi illius Sacrificij mysterium aliquod explanare, & a iiquando sanctiores illius sacrarum ceremoniarū, rituumq; rationes, & significaciones explicare, quo diligentius instructi in dies sacrofæcto illi Sacrificio religiosius interfint.

Docete item, quo modo fideles, signo Missæ celebrandæ dato, se corde contrito ad eam sanctè audiendam, parent.

Curate, & efficite perpetuis vestris monitionum officijs, ut in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni ejus parte utroq;

troq; genu flexo, præterquam in
Evangelio, adsint.

Instruïte etiam eos, quām reli-
giosè non solum in Missæ sacro,
verūm etiam in divinis alijs offi-
cijs versandum.

Quando stando, quando genua
flectenda, quando assurgendum.

Quām valde, dum illa fiunt,
celebranturvè, fugiendæ confa-
bulationes, colloquia, deambula-
tiones, strepitus, clamores, imò
verò inanes cogitationes, quibus
à pia meditatione & mysteriorū,
quæ aguntur, cōtemplatione, re-
ligiosaq; oratione animus detra-
hitur, quām deniq; studiosè vitā-
da reliqua omnia ab eorum offi-
ciorū sanctitate, & cultu aliena.

Rursus quām sanctè, itē quām
religiosè, & quām demisso, hu-
miliq; habitu in supplicationi-
bus,

bus, Litanij, & stationibus ver-
sandum sit.

Qua reverentia, quovè pieta-
tis studio in Ecclesijs locisve sa-
cris manendum sit, quævè ab a-
lijs procul abesse debeant, idq;
ex sanctionibus Pontificijs, Con-
stitutionibus Conciliaribus, E-
piscopalibus præterea Edictis.

Qua etiam non solum intimâ
religiosi animi pæparatione, sed
externâ etiam cultus, vestitusq;
modestiâ humili genu flexione, &
armis depositis ad sanctissimam
Communionem, tum etiam ad
cætera Sacraenta accedendum
sit.

Tum docete, ac monete, quo-
modo dies festi colendi, & san-
ctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse,
sacris diebus non modò à nefarijs
ope-

ribus, illicitisq; negotijs non abstinere; verum etiam religionis, ac pietatis opera non praestare omni diligentia.

Ac præterea nefas esse, sacros dies ad maxima Dei beneficia collenda, summasq; ei laudes persolvendas, ac debitum Sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quæ, ab eo cultu abhorrent: qualia sunt tripludia, ludi, choreæ, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitationibus, salutis humanæ hostis diabolus oblectatur.

Denuntiate item stata sacrorum jejunia; docete, quomodo jejunandum, quæ peccati gravitas in violandis sacris jejunijs.

Quæ præterea Christianæ pietatis officia in Sanctorum vigilijs.

Quam

Quām sanctē observādum qua-
dragesimale jejunium : stat s au-
tem solemnibus, vel Adventūs,
vel Septuagesimæ, vel aliorum
temporum celebritatibus, præ-
monete fideles, atq; diligenter
ex pastoralium etiam literarum
præscripta recitatione, ac ratio-
ne instruite ad sacra illorum tē-
porum mysteria, sanctis pietatis
officijs religiosè colenda.

Utg; ijs omnibus pro tempo-
rum, solemnitatumq; ratione illi
instrui possint, s̄epe monete, ut
Dominicis, alijsq; festis diebus,
quemadmodum sacra Tridentina
Synodus optat, ad Parochiale
Ecclesiam convenient.

Qua in re s̄apius monitionem
pastoralem eo de genere frequen-
ti populo legite.

Sæpè autem, ac diligenter eosdem docete, quam assiduè orandum sit.

Quomodo & tacitâ supplicis mentis meditatione, & pijs statis orationibus precandum.

Quam studiosè & religiosè suscipiendum vespertinæ communis orationis institutum, quam diligenter illud semel suscepsum pie retinendum.

Ideoq; tum alias sæpè in anno, eandem orationem cum indulgijs concessis, per summa capita explicate; tum præcipue diebus Concilio Provinciali tertio constitutis in maxima populi frequentia de scripto pronunciate, atq; evulgare.

Dominicis dieb⁹ instituite populum, & monete, pro quibus oret, ut est in eodem Provinciali Concilio decretum. Tum

Tum præterea quas, singulis
hebdomadæ ferijs, præcipuas
precationes, Christianasq; medi-
tationes, atq; in orando exerci-
tationes sibi propositas in prom-
ptu habere possit.

Quam sæpiissimè verò sermoni-
bus vestris populo proponite
locos perpetuæ Christianæ me-
ditationis, de morte, de judi-
cio, de inferno, de Gloria, & de
præmio Paradisi.

Monete præterea sedulò, ac
frequentissimè Patres, Matresque
familias. ut liberos, familiamque
suam ad pietatis, christianarum-
que virtutum disciplinam religi-
ose instituant.

Ad hoc propterea Patresfa-
milias inducite, ut vitæ spiritua-
lis ratione, & pijs exercitatio-
nibus libros probatos domi suæ

habeant; in quorum lectione versentur, seseq; ac familiam instituant ad sancte agendum.

De Patrumfamilias officio, familiæq; institutione, editam in Concilio tertio Provinciali constitutionē in parochiali conventu legite, singulafq; ejus partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna existimaveritis, quibus illi se, suamq; familiam in Christianæ vitæ institutis, atq; exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis, disciplinæ, vitæq; Christianæ rationes observate: si quid autem vel ab artificibus, vel ab institutoribus, operarijsvē committi animadverteritis, quod dissolutæ disciplinæ sit, id officinarum tabernarumvē Dominos graviter mo-

monete, ostenditeque, ea in re,
officij sui partes.

Estis participes, & socij laborum, curæq; Episcopalis, & in messe Episcopo commissa operarij estis. laborate una cum eo, & contendite, ut populus, cuius cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante divina misericordia, cōgregetur in horrea cœlestia.

Depositum custodi, inquit Apostolus Paulus: hoc vobis singulis dictum esse putate, ut quisque in grege, tanquam deposito fidei, curœq; vestræ, commissio diligenter custodiendo, ab omnique peccati labore conservando, cogitationem, solicitudinem, curam; studiumq; omne collocet.

Parochiæ igitur unicuiq; vestrum concreditæ, curam habete,

tum à cæteris vitijs omnibus vos
singuli sollicitè custodite; tum cu-
rate etiam, ne odia, similitates, i-
nimicitiaz, factiones, necnon te-
merè jurandi, maledicendi, im-
precandi pravæ consuetudines,
ac ne detractiones quidem in ea
sint.

At vitia imprimis & peccata,
ad quæ populum procliviorum
esse animadverteritis ; reprehendite,
atq; exagitate.

Nec verò dissimulate peccata,
sed annunciate populo scelera ejus:
publicè peccantes coram o-
mnibus arguite, ut & alij timo-
rem habeant.

Idq, agite spiritu fortitudinis
Domini, & ut strenui ejus mili-
tes bonam militiam militate, ni-
hil planè trepidantes.

Si ab increpatione (ut vos mo-
net

net S. Gregorius) vos retinueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quæritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumnijs, non alicujus generis contumelijs illud, vel increpandi, vel palam arguendi officium deserite, modò Christi gloriae, & animarum saluti servatis.

Rursus nunquam aucupandæ hominum gratiæ studio, id agere desistite: Servus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Vx vobis tacentibus aut dissimulantibus, si grex curæ vestræ commissus perierit. Sanguinem ejus de manibus vestris requiret justus, & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in incre-

pationibus verba vestra blandientia sint, sed ut à Spiritu Sancto scriptum est, stimuli sint, & quasi clavi, in altum defixi.

Instate op̄tunè, importunè, privat̄is etiam admonitionibus, consilijs correptionibus, objurationibus, ut peccantes, adjutrice divinâ gratiâ, in viam salutis revocetis.

In usum etiam sancte ita revocate fraternalm correctionem, ut non modò mutua Christiana charitate vos ipsos corripiatis; sed reliquos item, præsertim Parochiæ incolas, id charitatis & correctionis officium recte doceatis.

Ad sermonum verò, admonitionum, & correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipue ex doctrina Cate-

chi-

chismi Romani, in quo magna
cum populorum vestrorum salu-
tari utilitate, versari diligenter
potestis.

Neq; ad hoc multiplicis ve-
stræ Ecclesiasticæ tractationis
genus, negligite adjumenta, quæ
aliunde utiliter capere potestis.

Cætera officia, quæ in Saera-
mentorum administratione, in
affidua ad frequentem eorum u-
sum cohortatione, in ægrorum
cura, in alijs Parochialis mune-
ris functionibus, vobis Provinci-
alibus, Diœcesanisque Concilijs
præscripta sunt, præstate, atque
exequimini accurate, ad eorumq;
Conciliarum, constitutionū, de-
cretorumvè normam omni ob-
servantiæ, atq; obedientiæ stu-
dio, vos p'anè conformate.

Quæ verò decretorum Provin-
cia-

cialium, vel Diœcesanorum par-
tes, ad laicos eorumq; Christia-
nam disciplinam attinent, quod
sapientius evulgatæ, atque incul-
catæ serventur diligentius, illas
summatim vulgari sermone ex-
pressas, crebro prout usu vene-
rit, populis vestris proponite,
denunciate, explicate, atque in
consuetudinem inducite.

Quæcunq; deniq; vel ad vos,
vel ad laicos curæ vestræ com-
missos pertinent, ea decreta, quo
maximo potestis studio in o-
mnem executionem, disciplinæ-
que usum introducite. Videteq;
imprimis, ac perpendite, quæ
sint, & quam religiosæ muneras
vestri partes, caveteque, ut in of-
ficijs, & curæ vestræ functioni-
bus non modo quicquam vos non
committatis, sed ne omittatis,
qui-

quidem, cum in Sacerdotali vita,
pro muneri, quod sustinetis, ra-
tione, tum graviores, tum longè
plures, quam in cœteris homini-
bus esse possint omissionis culpæ.

Vos præterea reliqui Sacerdo-
tes, quicunq; estis, quibus anima-
rum cura non incumbit, tum a-
lia omnia, quæ Ecclesiastici or-
dinis hominibus de divinorum
officiorum cultu, de vitæ hone-
state, de studijs, & vitæ spiritu-
alis exercitationibus, præscripta
aut monita generatim sunt, tum
que nominatim sigillatimque ad
præcipuam vestram executionem
attinent, præstante omnino.

Vos item reliqui Clerici infe-
riorum ordinum, quæcunq; ad
vos, vel nominatim vel genera-
tim spectant, agite omnia, sicut
Clericalis vitæ ratio, Canonum

&

& Conciliorum decretis præscripta, postulat.

Christi estis, nempe de sorte Domini, & ipse Dominus sors, pars scilicet vestra: tales præbete vos, ut & ipsi possideatis Dominum, & possideamini à Domino, veréque dicatis: Dominus pars hæreditatis meæ.

Filij mei, nolite negligere: vos elegit Dominus, ut stetis coram eo & ministretis illi.

Videte igitur, quām valde intentos vos esse oporteat ministrijs vestris, & quām magnā vitæ morumq; castitate.

Proborum hominum tantūm, præcipue Sacerdotum, vitæ spiritualis laude præstantium, familiaritate utamini: ex quorū consuetudine tum fructum vos capiatis, tum Episcopus meliorem

in

in dies de vobis opinionem concipiatur.

Majores veremini, & observate: eisdemq; recte monentibus obtemperate.

Præter latinæ linguæ, & literarum studia Ecclesiasticæ impri-mis disciplinæ institutionibus diligenter incumbite.

Sic deum vos moribus, & vita modestiâ probate, ut à Parochis & præceptoribus vestris, tum etiam à populo bonum testimoniū Episcopus habeat, vosq; dignos judicet, quos majoribus Ordinibus adscribat.

Vos verò, qui vel visitationis munus geritis, vel Clericalis disciplinæ curæ quovis nomine præfecti estis, vel in Diœcesi Vicarij circūforanei cōstituti, in explen-dis muneris atq; officij vobis cō-

mif-

missi partibus sedulò invigilate,
atq; elaborate.

Onus, quod sustinetis, quām
grave sit, quām plēnū curis, per-
pendite, tum quam in eo vobis
committendo spem, fiduciamq;
Episcopus habuit videte: tum ef-
ficite, ut ejus expectationi respō-
deatis, vigiliarum vestrarū stu-
dijs assiduaq; solicitudine.

Ecclesiæ, quæ in uniuscujusq;
vestrum regione sunt, sedulò vi-
sitate: earumq; partes singulas
inspicite.

Pervestigate in uniuscujusq;
Parochiæ finibus, an aliqua pu-
blicorum peccatorum labes, an
flagitia graſſentur, quibus ut E-
piscopali cura Episcopus mede-
atur, necesse sit.

Universo Clero, pro regione
commissa, invigilate diligenter,

illudq; imprimis videte, ut in di-
scipline Ecclesiasticæ moribus
institutis atq; officijs se contine-
at, Clericalisq; moderationis le-
gibus congruenter vivat.

Indecentem ejus habitum o-
mnino reicite: morum sanctæ
vitæ, sacrarumq; litterarum, &
institutionis Ecclesiæ studia, si
quæ in eo languescunt, excitate.

Clerici autem minorum Ordi-
num, in hoc maximè vobis com-
mendati sint, ut illorum omnes,
tum in vitæ moribus, tum in lit-
terarum Ecclesiasticæq; doctrinæ
studijs, progressiones accuratè ex-
ploretis, atq; ut maximè potestis,
paternis eos cohortationibus, atq;
objurgationibus, ijsq; assiduis, ad-
juvetis.

Ecclesiarum item cultum, ni-
torem, cæteraq; ejus generis o-

mnia curate vestrā diligentiam,
quæ totis in Christo visceribus
ab uno quoq; vestrū expetitur.

Quæcunq; verò vel Provincia-
liū Diœcesanarumq; Synodorū de-
cretis, vel præcipuis instructio-
nibus, vel visitationum jussis præ-
scripta sunt, ea omnia, ut re ipsa
præstentur, studiosè perpetuò
agite.

Hæc omnia & singula his mo-
nitionibus nominatim, sigillatim-
que expessa, tum cuncta item re-
liqua, vel Concilijs Provinciali-
bus, Diœcesanisq; sancita, vel a-
lio modo vobis præscripta, vos
omnes, ac singuli, quorū interest,
quāto potestis amore, & pietate nō
amplectimini solum, & legite, sed
mente, animoq; comprehendite,
servate, omniq; solicita execu-
tione præstate: totosq; vos ad

co-

cohortationū, admonitionū, de-
cretorū, & constitutionū rationē
accōmodate. Quod omne ut faci-
atis, sicut nos pro Episcopalis
nostrī officij munere, vos in hoc
Diœcefano Conventu, ex consilij
Provincialis præscripto cōmone
fecimus; ita etiam unumquemq;
vestrū per unigeniti Filij Dei ad-
ventū, per ejus Crucē, perque a-
nimarū vestrarū salutem obsecra-
mus, obtestamur, divinaq; conte-
statione monemus. Rursus vobis
ipsis universis, & singulis edici-
mus, si quis vestrū constitutioni-
bus, decretisq; vel Provincialib,
vel Diœcesanis vestra causa edi-
tis, non paruerit, contra eum nos
acturos esse Ecclesiasticis, Cano-
nicisq; sanctionibus.

Cavete igitur, ne quē vobiscū
paternē modo agentem, sollicitéq;

mo-

monentem, & in conspectu Dei
vos hoc sacro deprecantē auditis,
eundē rursus non in hac vita so-
lum culpas vestras animadverte-
tem, sed in divino præterea judi-
cio easdem accusantē audiatis.

At ipse Deus & Pater noster & Do-
minus JESUS Christus dirigat vias
vestras in omni Sancta Obedientia;
exhortetur corda vestra, & confimeat
in omni opere & sermone bono; ita
ut dignè ambuletis vocatione, qua vo-
cati estis, per omnia ei placentes, sicq;
sanctis vestrarū virtutū progressioni-
bus probati, appareatis ante Deū,
& Patrem nostrum, in Adventu
Domini nostri IESU CHRI-
STI, cum omnibus San-
ctis ejus, Amen.



